


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 6;Leibn. Marg. 72, [1] - -

PUBLIC DOMAIN


Leibn. Marg. 72

Randnoten
von Leibniz

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

vgl. Schmid, de atheismo
eradicando, Argentae Vandelicorum 1669, S. 131


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 6;Leibn. Marg. 72, [2] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 6;Leibn. Marg. 72, [3] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 6;Leibn. Marg. 72, [4] - -

PUBLIC DOMAIN

THEOPHILI SPIZELII

DE

VATICINIIS

QUIBUSDAM

ANGELICIS

AMICA ET PLACIDA COLLATIO,

INSTITUTA CUM VIRO QUODAM DOCTISSIMO.

AUGUSTÆ VINDEL.
APUD GOTTLIEB GOEBELIUM
FORMIS JOH. PRÆTORII.
CIↃ IↃ CLXVII.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 6;Leibn. Marg. 72, [5] - -
PUBLIC DOMAIN

VIRIS

REVERENDISSIMO, SUMME REVERENDO, MAGNIFICIS AMPLISS. ET EXCELLENTISSIMIS,

DN. D. MARTINO GEIERO,
SERENISS. AC POTENTISS. ELECT. SAX. JOHANNI GEORGIO II. A CONSILIIS ECCLESIASTICIS, CONFESSIONIBUS SACRIS, ET CONCIONIBUS AULICIS PRIMARIIS.

DN. D. HIERONYMO KROMAYERO, SS. THEOLOGIN ACAD. LIPSIENSI PROF. PUBLICO PRIMARIO ATQUE CELEBERRIMO, CANONICO MISNENSI, COLLEGII DUCALIS COLLEGIATO, ET ALUMNORUM ELECTORALIUM EPHORO.

THEOLOGIS CONSUMMATISS. ET DE ECCLESIA ORTHODOXA BENE MERITISSIMIS,

PATRONIS ITEM ET FAUTORIBUS SUIS HONORATISSIMIS,
HANC DE SACRIS QUIBUSDAM VATICINIIS COLLATIONEM SACRAM CUPIT
THEOPHILUS SPIZELIUS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 6;Leibn. Marg. 72, [6] - -
PUBLIC DOMAIN

EPISTOLA

VIRI

VNDIQVAQVE MAGNI,

Inauſpicatum officii genus, & parum ut proverbio dicam κατὰ πόδα videri poſſit, quod ad tantæ Dignationis ſolium, cum debito licet venerationis oſculo deferatur talis ingenii fœtus, qui variis nec adeò levibus obnoxius eſt objectionibus, nec ita fortè comparatus, ut TANTIS OCULIS ſe probare, aut exaſciati VESTRI Judicii aciem tolerare valeat. Quod tamen animum meum abſterrere poterat, eò potius compulit, ut publico quo-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 6;Leibn. Marg. 72, [7] - -
PUBLIC DOMAIN

dam alloquio grati in VOS animi voluntatem teſtatam facerem, ac ſimul conſpectui VESTRO ſiſterem amicam hanc placidamque collationem. Sacra eſt, & ita comparata, ut non niſi exercitatos in palæſtra Theologica Judices habere poſſit: Neque verò cum immite, aut inordito contradictionis zelo flagrante adverſario, ſed cum AMICO potius, eoque pio, erudito, modeſto, amicè placidè inque lenitatis ſpiritu eſt inſtituta, haud igitur aliena à Vobis VIRI MAXIMI, quorum ſincera pietas, & incomparabili eruditioni adjuncta comitas atque manſuetudo dudum effecêre, ut Summis etiam Viris, Bonisque omnibus ſitis admirationi, & ſive Natale ſolum ſpectetur, ſive mutui amoris nexus,

xus ſive ſplendida utriusque Munia & maxima gloriæ præconia, ſive denique præclariſſima in Eccleſiam orthodoxam merita conſiderentur, PAR OPTIME COMPOSITUM appareatis. Non autem Veſtrum VIRI MAGNIFICI, in cauſæ meæ ſubſidium jam imploro patrocinium, ſiquidem cum Amico mihi res, & quam defendo ſententia non mea ſolius, ſed VESTRA etiam eſt, quam Vosmet Ipſi, exquiſitis in Sacra DANIELIS & JOHANNIS THEOLOGI Vaticinia Commentariis, ſtrenuè aſſeruiſtis; quin potius arrham & σφραγίδα tum obſervantiæ ſubmiſſæ, quâ Vos in tanto faſtigio conſtitutos proſequor, tum gratitudinis, VOBIS PRÆCEPTORIBUS quondam meis Optimis

debitæ exſtare cupio. Ingratiſſimus profectò ſim hominum ni plurimis nominibus VOBIS me devinctum ingenuè profitear. Quoties eam, quam LIPSIÆ olim humanitatem probaſtis atq; benevolentiam, memori pectore hactenus recolui, toties marmoreum non chartaceum ſolùm, Reverentiæ VOBIS VIRI SUMMI debitæ monumentum ſum meditatus. VOS itaq; SPLENDIDA ECCLESIÆ LUMINA publicâ hâc εὐφωνίᾳ meritò ſaluto, VOBIS tenuem hancce opellam, Amicam hanc Collationẽ eâ quâ decet animi ſubmiſſione conſecro. Non, ſcio, magnis fatigandi eſtis voluminibus, nec enim negotia illud VESTRA admittunt, officium feciſſe, obſervantiam publicè declaraſſe, ani-

animi grati docum
quiſſe ſatis eſt. Va
MA SAXONIÆ
imò Eccleſiæ Univer
NA, meisque ſtudi
gite. Sanctiſſimum
quod tam egregiis S
tatis, & facundiæ
ornamentis, ſcuto
fortiter protegat,
gnè regat, actiones
rumet, mala cuncta
ctis VESTRIS cle
tat, Vos deniq; E
atque ſolatio diuti
vet. AUGUST
KAL. MART. AN
TIÆ clɔ Iɔc LX

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 6;Leibn. Marg. 72, [10] - -
PUBLIC DOMAIN

animi grati documentum reliquisse satis est. Valete MAXIMA SAXONIÆ VESTRÆ, imò Ecclesiæ Universæ COLUMINA, meisque studiis favere pergite. Sanctissimum NUMEN, quod tam egregiis Sapientiæ, pietatis, & facundiæ Vos instruxit ornamentis, scuto suo deinceps fortiter protegat, consilia benignè regat, actiones potenter fortunet, mala cuncta ab aris & tectis VESTRIS clementer avertat, Vos denique Ecclesiæ bono atque solatio diutissimè conservet. AUGUSTÆ VIND. KAL. MART. ANNO GRATIÆ cIↃ IↃc LXVII.

ANAGNOSTÆ INGENUO.

POstquam erudita quædam de ÆTATE ANTICHRISTI Diatriba, non minus communi Angelicorum quorundam Vaticiniorum interpretationi, quam Anglici cujusdam (excidium Romæ in Annum 1666. spondentis,) Examini oppositæ, in lucem prodiisset, paulò diutius mecum deliberavi, utrum hoc, pariter ac recepta in Ecclesiis orthodoxis Oraculorum istorum explicatio, ab authoris doctissimi contradictionibus sit vindicanda, ac simul nova ejusdem de Antichristi ætate sententia accuratiori examine perpendenda? Varia profectò ab isto me deterrere poterant negotio: Namq; præsentem Ecclesiæ nostræ statum,

tum, non minus quam Partis adverſæ hæc talia in rem ſuam raptantis genium conſideranti, ſeculi denig; noſtri intemperiem (quâ plurimi in cenſuras proni ad emendandum inepti) probè perſpicienti, res certè ardua viag; admodum ſalebroſa videbatur. Aſt quoniam omnimodum ſilentium parum æquus cenſor in meam facilè torquere potuiſſet calumniam, ex moderata inſuper diſceptatione Veritas magis magisq; affulgeat, amicabile hoc CHRISTOPHORI & THEOPHILI colloquium, ſeu placidam de Vaticiniis quibusdam Angelicis (poſt Anglici examen) adornavi collationem, quâ penſitatis utrinq; argumentorum momentis, ad objecta ſingula reſpondere, ac quantis Viri doctiſſimi ſententia laboret difficultatibus demonſtrare, Vero autem ita ſuccurrere conſtitui, ut ne tantillum

læderem Amici existimationem, quin potius pro mea virili ejus civilitatem non æquare tantum, sed vincere etiam allaboravi. In eruditione enim aut eloquentia (*dicente Erasmo*) quoniam id haud est in nobis situm, non semper turpe est vinci: At in humanitatis officiis & superari turpe est, & superare pulcherrimum, propterea quod hîc tantum quisq; præstat quantum animo collibuerit, neque plus requiritur facultatis, sed plus BONÆ MENTIS. *Verum cum mortalium non pauci ad deteriora suspicaces, & ea sæpé scribentium sit infelicitas, ut livida invidiæ tabes eorum etiam quorum causam tuentur insectationibus reddat obnoxios, Tu* ANAGNOSTA CANDIDE *qui pro genuina judicij dexteritate calculum ferre nosti, hoc*

nostrum

ANAGNOSTÆ INGENUO

nostrum studium à fastidiosis multorum judiciis vindicatum, copiosiori favoris ac benevolentiæ Tuæ scatebra recreabis.

SYLLABUS VATICIN. ANGELICORUM.

DANIEL. CAP. VII. VERS. 8. 20. 21. 22. 24. 25. 26. à PAG. 42. AD 123.

CAP. IX. VERS. 24. 25. PAG. 24. seqq.

CAP. XII. VERS. 7. 11. 12. PAG. 130. seqq.

APOCAL. CAP. XI. VERS. 2. PAG 180. seqq.

CAP. XIII. VERS. 1. 11. 14. 15. 18. PAG. 187. 199. 202. 205. seqq.

CAP. XVII. VERS. 11. PAG. 197. seqq.

ADDITAMENTA QUÆDAM.

AD PAG. 98. lin. 15. Id quod Revelator Angelus etiam vers. 24. clarissimè prænunciavit, scil. illum IPSUM Regem cornu parvo adumbratum, Tres alios *humiliaturum*, h. e. ACTIVE subjugaturum; sicuti de Deo idem enunciatur Dan. IV. 34° *Qui elatè incedunt, hos potest humiliare*; & de Nebucadnezare cap. V. 19. *Quem volebat humiliabat.*

AD PAG. 148. lin. 6 & 149. l. 11. *Non statim tamen, sed interposita morâ quâdam*; cum ea etiam rectè dicantur post mperii Veteris destructionem accidisse, quæ interjecta mora aliquâ contigerunt.

AD Pag. 154. l. 18. Adeoq; τὸν ἄνομον eo tempore quodammodo conceptum, remoto autem impedimento illo natum fuisse, &c.

ELEN-

ELENCHUS AUTHORUM IN HAC COLLATIONE CITATORUM.

IS. Abarbanel, pag. 11. 127.
Rob. Abbatus, 83. 117.
R. Aben-Esra, 127.
Greg. Abulfarajus, 55. 62. 77.
Alexandri VII. *Index Libr. prohib.* 65. 221.
Io. Henr. Alstedius 156.
Sixt. Amama 44.
Ammianus *Marcellinus*, 183.
Anastasius Diaconus, 156.
Arias Montanus, 206.
S. *Aurel.* Augustinus 8. 86. 136.
Frider. Balduinus, 38. 46.
Cæs. Baronius; 156. 174.
Rob. Bellarminus 44. 127. 128.
Petrus Bertius, 88.
Io. Henricus Bœclerus, 61.
Blondus *Flavius* 104. 107.
Jo. Bodinus. 215.
Petrus Bongus, 33.
M. Zuer. Boxhornius, 94.
Caspar. Er. Brochmand, 22. 38.
Thom. Brughtonus, 127. 144.
Abr. Bucholzerus, 28.
Henr. Bullingerus, 23. 148.
Io. Buxtorfius, 24.
Abrah. Calovius, 27. 28. 43. 46. 80. 127. 133.
Laonicus Chalcondylas 54.
Georg. Calixtus, 25. Th. Campanella 83.

Thomæ

Thomas Carve. 179.
Georg. Cedrenus 54. Centur. Magdd. 28.
Dan. Chamier, 23. 83. 117.
Dav. Chytræus, 147.
Ioan. Chryſoſtomus 136. 148.
Clemens *Alexandr.* 186. 147.
Iſaacus Clarius, 142.
Io. Cluvetus 28.
Liber Coſri. 24.
Petrus Cunæus. 6.
Cæl. A. Curio 54. 55.
S. Cyprianus, 63. 158. 159.
Petrus Damianus, 113.
Ioan. Cunr. Danhavverus, 10. 19. 22. 29. 45. 64. 128. 136. 138. 157. 158. 164. 180
Paulus Diaconus, 102. 107.
Diodorus *Siculus* 63.
Dionyſius Halicarn. 135.
Io. Georg. Dorſcheus, 133.
Georg. Elmacinus, 56. 60. 71. 84.
Evagrius *Pont.* 151.
Euſebius *Pamph.* 15. 153. 162.
Patricius Forbeſius, 200.
Wolffg. Franzius 136. 137.
Io. Funccius 28. 156.
Martinus Geierus, 10. 19. 27. 28. 38. 46. 92. 127. 132. 138. 140. 143. 144.
Barth Georgoviz, 119.
Io. Gerhardus, 22. 40. 46. 90. 121. 182.
Sal. Geſnerus 23. 28. 40. 43. 46. 74. 86.
Geufræus, 50.

Sab.

Sal. Glassius, 36.
Alb. Gravverus 47. 90.
Gregorius Magnus, 105.
Hugo Grotius, 43. 87. 127.
Iosephus Hallus, 173. Herodotus 63.
Christ. Helvicus, 28. 86.
S. Hieronymus, 7. 43. 127. 143.
Iohannes Hülsemannus 46. 65. 121,
Io. Henr Hottingerus 56. 61. 70.
Antonius Hulsius, 144.
Nicol. Hunnius, 138.
Ios. Jachiades 127.
C. Jansenius 136.
Fl. Josephus 14. 15. 127. 134.
P. Jovius 54.
B. Irenæus, 44. 207. 218.
R. Dav. Kimchi. 56.
Athanasius Kircherus 32. 34.
Hieronymus Kromayerus 22. 46. 138. 182. 206.
Pomponius Lætus 54.
Cornel. à Lapide 44.
Constantinus L' Emperetur 144.
Lessius 44. 118.
Liber Alcorani 51. 75. 76. 77.
Liber doctrinæ Muhamed. 76
R. Lipmannus 144.
Iustus Lipsius. 135.
Luitprandus Ticinensis, 156.
Mart. Lutherus 22. 29. 45. 51. 86. 89. 145. 182.
Macrobius 216.

Io.

Io. Maldonatus 44. 127.
Io. Andr. Maurus 62.
Phil. Melanchton, 23. 45. 99.
Iohannes Muſæus 46.
Wolffg. Muſculus 147.
Nicephorus, 63.
Phil. Nicolai, 46. 87. 183.
Origenes 136.
Lucas Oſiander 86. 90. 156.
Io. Pappus 23. 90.
Ben. Pererius 43. 44. 136. 217.
Philo Judæus, 63. Photius *Patr.* 217.
B. Platina 108. 112. 156.
Plato 34.
Plinius 49. Plutarchus 213. 215.
Edvvardus Pocokius 62. 77.
Amandus Polanus, 117.
Porphyrius, 43. 126. 215.
F. Richardus, 51. 68.
Iac. Revius 174. 177.
Alex. Roſs, 63.
Cæl. Rhodiginus. 215.
Em. Sa, 136.
R. Saadias 43.
R. Salomo. 127.
Ioſ. Scaliger 25. 62. 117
Sal. Schvveigerus 51
Carolus Sigonius 108
Sionita & Heſronita 62
Io. Sleidanus 16
Socrates 153

H, Ste-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 6;Leibn. Marg. 72, [19] - -
PUBLIC DOMAIN

H. Stephanus 46
Strabo, 63
Petrus Suavis 171
Frid. Sylburgius 73. 74
Cornel. Tacitus 135
Adamus Tannerus, 194
Tertullianus 135
Theodoretus, 143
Iac. A. Thuanus 171.
Henr. Valesius 153. 163.
Io. Valkenier 138
Vatablus 136
Vegetius 135
M. Paulus Venetus 63
Vinarienses Theologi, 145. 163
Raph. Volateranus 54
Urspergensis 108
Iac. Usserius 190
I. Winkelmannus 23
Wittebergenses Theologi, 205
Rodericus Ximenez 56
Euthym. Zigabenus 73
Zonaras, 56

CUM

CUM DEO!

DE

ANGELICIS QUIBUSDAM VATICINIIS AMICA ET PLACIDA COLLATIO.

CHRISTOPHORUS,

Proœm. Diatr. de Vera Æt. Antichr.

PRodiit ante hoc decennium, anno videlicet milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quinto, libellus Londini excuſus, hoc titulo: Romæ ruina finalis, Anno Domini 1666. mundique finis ſub quadrageſimum quintum poſt annum. Ejus author in obſcuro eſt, niſi quod ſermo dedicatorius ad Oliverium Cromvvellum

A lum

lum ſubſcriptas habet has literas, J. W. *quæ haud dubiè initiales ſunt auctoris nomini. Hunc Tu libellum*, Κράτιστε Θεόφιλε, *ſub examen revocas; non exactum quidem, habet enim multo plura cenſuræ ſubjicienda, quam Tu caſtiganda Tibi ſumpſiſti: Credo, quod non animus eſſet ad alia progredi, quam quæ in titulo tractatûs præſcribebantur.*

THEOPHILUS.

QUamvis à longo annorum decurſo tempore experientiâ docuerit, quam damnoſa imo exitioſa ſint vaniſſima iſta, & ex proprii ingenii phantaſmate deprompta vaticinia; non defuêre tamen hactenus, neque adhuc fortè deſunt, qui mira taliaque præſagiant, quæ mentes hominum in diverſum abripere, ſecundum veritatem autem inſtruere haud quaquam poſſint. Quanta verò Optime Chriſtophore, temeritas eſt, tales è proprio ingenio ſpeculationes confingere, aliisque ad credendum proponere velle, quarum nulla prorſus in Sacris literis extant veſtigia? Quanta etiam quorundam in credendo facilitas eſt, qui mox ad unum, aut vix unum & quidem non niſi malè

malè intellectum & corruptum sacri Codicis vaticinium, ea sibi persvaderi patiuntur, quorum in Libris Canonicis manifestè extant contraria? Etsi verò haud ignoraverim, cordatos semper extitisse homines, qui rumoribus istis in vulgus sparsis, nullam prorsus fidem habuerint, quia tamen non pauci de falsissimis illis præsagiis dubij detenti fuerê, placuit ante biennium illud Angli anonymi de ultimo Urbis excidio vaticinium sub examen revocare, eâ spe fretus inventum iri prudentes & probos non paucos, qui perspecta logodædalorum horum vanitate veritati sint staturi, Scripturæque Sacræ monita amplexuri & secuturi, quamvis (uti benè observasti) animus non fuerit ad alia progredi, quam quæ in titulo tractatus præscribebantur.

CHRISTOPH. *In eo verò negotio cum versareris (ignosce admonitioni ab amico profectæ) visus es mihi quædam asseveranter scripsisse, quæ ipsa quoque utrum non diligentiori examine ut perpendantur dignissima sint, candidè judica.* Procem. pag. 4.

THEOPH. Quandoquidem in hujusmodi labi nonnunquam & hallucinari

adeò humanum sit, ut hactenus nemini ferè mortalium licuerit effugere, perpaucis exceptis, quorum literas non ut humanas excutimus, sed ut divinas veneramur; idcircò gravatè haud feram me admoneri ab amico, præsertim amico tali, tam erudito, tam integro, & illaudatis eorum moribus haud inquinato, qui simulant amicitiam, & necant, dum osculantur latus ense aperiunt, benevolentiæ speciem admiscent, dum perniciem moliuntur, benevoli trucidatores! qui tamen proprio plerunque se jugulant gladio, nec prius convitia in alios quasi venenata tela jacere desistunt, quam universo Orbi demonstrent, se non veraces sed mendaces, non eleganter doctos sed malè coctos, non aliorum censores, sed omnium esse reprehensores. Eos v. cum Tu Vir Doctissime, ex animo semper detestatus sis, planissimè mihi persuadeo, Te, sive tuopte judicio, sive alieno impulsu istud negotium susceperis, simplici puroque & ab inordinato altercandi studio planè remoto id feciſſe animo. Neque enim convenit illic humanos affectus obstrepere, ubi divinum est, ubi cœleste est omne quod geritur, neq; congruum est in tractandis Sacris

literis

literis parum modestos & integros videri, quæ solæ verè modestos & probos reddunt. Id quum omnibus, tum nobis præcipuè erit observandum, seculo hoc exulcerato & contentioso, ne quicquam committamus, quod velut indecorum exibiletur, vel ut scandalosum reputetur, vel ut puerile rideatur. Utriq; velimus nolimus tanquã in proscenio consistimus, multorũ oculis in nos conjectis, neq; clam nobis est, quam sint fastidiosa multitudinis judicia, non profectò minus quam oculi spectatorum, quibus vix placent etiam optima. Quo magis curandum ut scenæ theatroque ritè serviamus, ac pro viribus actioni susceptæ nos attemperemus. Quid, quod lectissima illa ac verè christiana CHRISTOPHORI & THEOPHILI, in sacro baptismatis lavacro nobis imposita nomina, Christiani quoque nos admoneant officij, ne scil. verborum decertemus acerbitate, aut odiosè & contentiosè nos insectemur invicem, sed placidè potius rerum momenta considerantes, conjunctis studiis de veritate simus solliciti. Quo magis autem in omni professionis genere semper liberum fuit, in hisce duntaxat rebus quæ ad Religionis no-

ſtræ dogmata propriè non pertinent, invicem diſſentire; eo minus Tibi Vir doctiſſime, fraudi vitiove verto, quod non omnium promiſcuè placita adorare, ſed diligentiori potius examine perpendere volueris. *Neq; vero nos ſumus* (verba Celeb. Cunæi è præfat: Lib. III. de Rep. Ebr. adſcribo) *tam ſuperbæ impotentiſque arrogantiæ, ut in tanta communis naturæ imbecillitate ſolos nos ſupereſſe exiſtimemus, quibus interdum opus venia non ſit. Hallucinamur omnes, alij gravia alij leviora, nec eſt quisquam, qui tam benè animum ſuum diſciplinis obſirmavit, ut nihil fugere eum poſſit amplius aut fallere;* item: *Pertinaciam pro opinione induere haud eſt noſtrum, Ipſi nos, ſi quando errores quosdam noſtros odorati fuerimus, ſponte hanc gratiam à nobis inibimus, & primi eos indicabimus, nequis forte ſtudiô noſtri aut amore deceptus, vitia noſtra cæcis oculis prætereat.* Neutiquam igitur gravatè feram Tuam Vir Doctiſſime admonitionem, ſed potius, ut præſens collatio amicè, placidè, inque lenitatis ſpiritu (non contradicendi zelo, ſed ſolius veritatis vindicandæ ſtudio) fiat, totus annitar.

CHRI-

CHRISTOPH. *Antequam ad alia progrediamur, excutienda prius erit illa quæstio: An liceat in numeros propheticos inquirere, idque an utiliter fiat? Quantum enim in Te est, Theophile, deterrere omnes à numerorum talium interpretatione, adque reperiendi desperationem adigere conaris.* Diatr. cap. 1. pag. 4.

THEOPH. Numerorum Prophetico-Apocalypticorum obscuritatem maximam esse, nemo quidem sanæ mentis unquam inficiabitur, maximè autem deprehenditur ab illis, qui flagrantiori desiderio ex tenebris istis lucem elicere conantur. Ut proin non incommodé mysteriis istis applicari possit illud B. Hieronymi de Sacra Apocalypsi classicum, Epist. I. ad Paul. *Apocalypsin Johannis tot habere sacramenta, quot verba; in verbis singulis multiplices latere intelligentias*, item: *Liber in Apocalypsi septem sigillis signatus ostenditur, quem si dederis homini scienti literas ut legat, respondebit Tibi, non possum, signatus est.* Sunt fateor multa per universum Danielis & S. Apocalypseos contextum sparsa clarissimè dicta, quædam & per repetitionem intelligibilia, ex quibus

abstrusiora illa tenebrisque involuta vestigari, ac si non omnia accuratissimè planissimeque demonstrari, ita tamen evolvi atq; enucleari possunt, ut lectori non contentioso sed liberaliter & candidè judicanti satisfactura existimem; Attamen *in hoc etiam libro cujus nomen est Apocalypsis* (verba sunt D. Augustini Lib. XX. de Civ. Dei, cap. 17.) *obscurè multa dicuntur, ut mentem legentis exerceant, & pauca in eo sunt ex quorum manifestatione indagentur cætera cum labore, maximé quia sic eadem multis modis repetit ut alia atque alia dicere videatur, cum aliter atque aliter hæc ipsa dicere investigetur.* Verissimè equidem plurima occurrunt hoc in libro obscurissima, imprimis cap. 6. 8. 9. 11. 16. 20. quæ ingentem laborem ac summam attentionem postulant. Sed cum de Numeris potissimum Prophetico-Apocalypticis nunc sermo sit, scire apprimè velim, unde Tibi certò constet, me omnes à numerorum istorum interpretatione deterrere, adq; reperiendi desperationem adigere voluisse? Sane prorsus contrarium è sexto Examinis mei numero apparet, ubi præeuntibus Summis & primi subsellij Theologis asserui; Corniculo illo

illo Danielitico ad Tempus tempora & dimidium temporis duraturo, non Antichristum illum Magnum, verum Turcarum potius Imperatorem designari, *adeoq; Calculo isto prophetico-Apocalyptico TURCICI potius quam Antichristiani Imperij durationem seu periodum definiri.* Hoc ne obsecro omnes à mysteriorum talium interpretatione deterrere, adque reperiendi desperationem adigere significat? Licet enim non paucis tanta eorum perplexitas esse videatur, ut humanis mentibus haberi mereatur imperveſtigabilis, neutiquam tamen de omnium numerorum propheticorum intelligentia prorsus desperandum esse existimo, quin potius mysteriorum illorum (quæ Deus nos scire voluerit) explicationem ab eo petendam esse, qui servis suis benignissima voluntate ea revelavit, & qui Spiritum Sanctum suum, Spiritum Sapientiæ & Illuminationis se daturum precantibus promittit Luc. XI. 13. Jac. I. 5. Eph. I. 17. Neq; verò propterea quod de Antichristi ætate nihil temerè definire ausus fuerim, prorsus impossibilem pronunciavi omnium numerorum propheticorum interpretationem, verum cum B. D. Gerhardo ætatem.

Antichristi tam varié descriptam esse reputavi, ne quis præsumere audeat calculum quendam arithmeticum in hisce ænigmaticis mysteriis subducere. Si verò Tibi minus arrideat moderata hæc nostra de Antichr. ætate sententia, en Patronum ejus fautoremque Tibi sisto nominoq; Magnum & Incomparabilem D. Danhavverum, qui Ἀντιχριστοφ. Sect. I. Art. VIII. pag. 257. ita scribit: *Nos memores eorum terminorum, quos in prodromo nobismet fixîmus, nihil hic definire audemus, ut quos eventus ipsius experientia destituit, quia enim finis Antichristi nondum completus, ideò manet hic gryphus eousq; insolubilis; nostrum non est nosse tempora & temporum articulos, quos Pater in propria potestate posuit, Act. I 7.* Et pag. 289. de duratione Tyrannidis Antichr. verba reperies seqq: *Hic vero nos definiendi audaciam denuo compescimus. Nondum Antichristianarum persecutionum finem attigimus, clavis igitur interpretationis, qui est experientia eventus nos destituit.* Quod Magni Danhavveri judicium merito suo commendat Vir summus Dn. D. Mart. Geierus, prælect. in Dan. XII. 12. pag. 998. ac notanter addit: *in specie hic nihil*

nihil prorsus determinari posse. Et quoniam R. Isaaci Abarbanelis alibi tantoperè commendas explicationem Dan. VII. 25. en Tibi ejusdem quoque de numeris XII. Dan. Cap. occurrentibus sententiam: *Non est dubium* (ita Hebræa reddi debent,) *quin Angelus vias quæsiverit rem abscondendi. Ideò existimo eum dum dierum meminit, non intellexisse dies propriè, neque annos, sed per dies certum aliquem numerum (pro incerto) indigetasse.* Quicquid de eo sit, omnis sane diei novissimæ obscuritas tolli videtur, si quis Antichristi possit invenire numerum: Quoniam enim destructio abolitioq; ejus omnimoda glorioso Christi adventui adscribitur, periodus quoq; Regni ipsius ad extremum usque diem erit extendenda. Eamq; ob causam sicut diem & horam illam nemini præscire datum est, sic quoque finem Antichristi nulli fas erit curiosius perscrutari. Haud dubiè propterea hic computus factus est difficilior divinitus, & valde incertus, ut tantò ignotior maneret dies ille, cujus exquisitā cognitionem maximis de causis nulli Prophetarum impertiri Deus voluit. Ut verò exactius Tibi Vir Doctissime, meam de quæstione proposita

posita declarem sententiam, salvo aliorum ac Tuo cumprimis judicio existimo, ætatem Antichristi non tam ratione annorum, quam ratione terminorum, (illius præsertim à quo numerationis faciendum initium) nobis non Deo) incertam esse. Licet enim Deus tempus seu χρόνον (παχυλῶς non ἀκριβῶς sumptum,) scire nos voluerit, Καιρὸς tamen sive articulos, annum, mensem, diem, horam in sua constituit potestate. Quos dies novissimus aliquando vivos deprehendet, cum adventu Filij Dei ἄνομον ille sit destruendus, à posteriori terminum à quo facilius colligere poterunt. Accuratè igitur (1.) inter certitudinem respectu Dei & respectu nostri, (2.) terminum à quo & ad quem; (3.) inter cognitionem à priori & à posteriori; (4.) denique inter certitudinem probabilem & infallibilem puto esse distinguendum. Neutiquam sanè dubito etiam probabilem dari ætatis Antichristianæ cognitionem, licet infallibilem ante novissimum diem vix sperare possimus. Sed placet eâ de re Tuam vir Doctissime nunc percipere sententiam.

CHRI-

CHRISTOPH. *Ut igitur hâc de re quid ſentiam, declarem; nequaquam præfractè Tibi negabo, nonnullos in tempore judiciorum Divinorum definiendo; cumprimis etiam excidij ejus, quod Antichriſtianæ ſedi imminet, nimis eſſe temerarios, adeò ut perſonas ipſas deſignare auſint, quarum ſive ductu, ſive auſpiciis tam grande negotium conficiendum ſit: & non rarò talibus ſuſurris principum aures impleant, gravibus bellis & ſeditionibus contra pacta & gentium jura ſuſcipiendis, fomenta ſubſternentes, quæ utique temeritatis extrema linea eſt. &c.* Diatr. pag. 6.

THEOPH. Optandum omninò eſſet, ut fanatici tales aut ſua ſibi reſervarent ſomnia, aut proceſſu Locrenſium contra illoſce procederetur, de quibus ſcriptores referunt, cum proponendarum ſuadendarumque legum novarum apud cives illorum nimia libido ad novationes tendere videretur, nova lege eam licentiam ita fuiſſe repreſſam: ut qui propoſiturus erat legem, in publicum forum procederet, reſtim collo geſtans, eo fine ut ſi utilia ſuaſiſſet, reſte detracta honore debito tanquam de Republica bené meritus affice-

afficeretur. Sin inutilia otiosa aut superflua suasisset; ab eadem (quam collo gestabat) reste, mox præmij condigni loco sublimis suspenderetur. Si itaque novi isti fanaticique Prophetæ, ad promulganda sua fatuicinia non aliter in publicum quam reste torquati procederent, (ut si vera & utilia dicerent ablata cannabea, aurea torqui; sin verò stulta seditiosa, & cladem publicam spectantia proferrent, propalandi & dilatandi ejusmodi detrimentosa vaticinia via illis præcluderetur;) fortasse tali proposito præmio minus turbarum nostra viderent secula, & conscientiæ magis salvæ permanerent. Tristia profectó exempla docent, quantum damni Ecclesiæ pariter ac Reip. temeraria ejusmodi atque scandalosa vaticinia attulerint: Anno siquidem nascentis Christi primo, quidam Judas de Gamala oriundus, dictus Gaulonites cum videret capita Judæorum censeri ab Augusto Imp. jugi Romani impatiens, ex malé intellectis Prophetiarum vaticiniis, populi Judaici liberationem instare putans, vana ea spe fretus, seditionem movit in populo, cujus exitus qui fuerit, à Josepho Antiq. Libr. XVIII. cap. 1. & Act. V. describitur, quod nimirum

seditio-

seditionis hujus author cum universis suis assectis partim miserè cæsi, partim dispersi fuerint. Qualis fuit & eventus alterius Judæ, qui Ægyptius vocabatur de quo Act. XXI. & Josephus Antiq. Lib. XX, cap. 6. & idem de bello Judaico Lib. II. cap. 12. Inter quos & connumerandus Cochab ille nebulo Judæus, qui in se completam de stella Jacob Prophetiam dictitans, magnas dedit turbas, condignamque falsæ Vaticiniorum interpretationis & motæ seditionis mercedem reportavit: Moses item ille Cretensis dictus, qui & ipse Judæis ex falsis prophetiarum interpretationibus liberationem persuadens, illis miserandi interitus author fuit, referente Eusebio Hist. Eccles. Lib. IV. c. 6. & Lib. VII. cap. 38. Sed & proximè nos antegressum seculum consimilia vidit exempla: In motu namq; Rusticano anno 1525. inventi sunt pseudoprophetæ qui vaticinia quædam sacræ Scripturæ, de Regno Christi loquentia, pessimè & corporaliter tantum interpretati, multis rusticorum millibus extremum attulerunt exitium. Quos deinde insecuti fuerunt Monasterienses Anabaptistæ, qui pristinum errorem reducentes, propheticas insuper revela-

tiones

tiones commenti, ingentes dederunt turbas anno Gratiæ 1534. & 1535. ſicuti Sleidani & aliorum ea de re publicæ teſtanturhiſtoriæ. Idem omnino noſtro hoc ſeculo videtur Sataras molitus fuiſſe peralios quoque hujus farinæ homines, qui totius Orbis reformationem & in melius reſtitutionem confingentes non Artium modo & cunctarum facultatum, ſed & Eccleſiæ & Imperiorum mutationes inſtare clamitantes, chartis ſuis animos hominum in ſublimi ſuſpenſos, nova ſed vana ſpe per aliquod jam tempus lactarunt. Quin etiam non paucos zelo aut œſtro potius abreptos, carnali magis quam ſpirituali odio Pontificem R. proſequentes invenias, dicentes: Chriſtianos zelo pro gloria Dei flagrare oportere, & proinde ut ultionem aliquando de eo ſumant obligatos teneri. Utinam autem vero, juſto & bono zelo tales ducerentur, qui zelum talem prætendunt & jactitant! Et ſané zelus eſt quo agitantur, ſed zelus amarus, inordinatus, qui ſimul eſt ſcelus, & quem haud incommode inſaniam nuncupare poſſis. Quis enim horum, ſanguine effuſo gratum opus Deo ſe præſtitutum ſperet, qui ex ore Chriſti audit, ab alio

quam

quam bono ſpiritu tales externæ vindictæ cupidas proficiſci cogitationes? Atqui objiciant: Vindictam Antichriſto dudum interminatus eſt Dominus: quis hoc neget? Idem tamen de effuſo ſanguine ultionem interminatus eſt homicidis omnibus, Gen. IX. 6. num propterea indifferenter huic illive ultor gladius in manus eſt traditus? haudquaquam, ſed ei quem Deus eam ad rem peculiari deſignavit vocatione. Fruſtra etenim ſuscipiuntur, quæ ſine Deo & ſine legitima vocatione ſuscipiuntur.

CHRISTOPH. *Ad rem igitur redeamus de quâ quæſtio eſt inſtituta. Etſi ergò temerarii ut dixi ſint illi omnes, qui tempus judiciorum divinorum eo animo indagant ut præſentem Reip. Chriſtianæ ſtatum turbari ſive optent, ſive ſuadeant, nihilominus tamen indagationem ipſam temporis illius quo judicandus eſt Antichriſtus per ſe nec temerariam nec malam voco, cum fieri poſſit, ut proficiſcatur ex animo non turbulento, ſed cupido potius divinæ gloriæ & ſalutis omnium, maximè illorũ, qui adhuc tenebris immerſi, ne rimam quidem apertam habent, perquam veritatis jubare illuſtrari poſſent.* Diatr. pag. 8. & 9.

THEOPH. Ipſam temporis indagationem neque malam vocavi neque temerariam, quin potius eos (conf. Exam. pag. 2.) haud immerito reprehendere conſtitui, qui nulla prorſus Sacræ paginæ authoritate ſuffulti, verûm propria ſolum ingenii ſomnia ſecuti, conjecturis ſuis ita capiuntur, ut ab ipſo DEO dictatas inſpiratasq; firmiſſimè credant, ac proin confidenti audacia TEMPUS, ſive ultimi excidii Romani annum menſem aut diem *definire* non vereantur. Quæ in Scripturis de Antichriſti ſede evertenda & Babylone deſolanda prædicuntur, illa ſuo tempore eventura firmiſſimè credo, in ſilentio tamen & pia ἐποχῇ expectare Dei opus malim, quam temerè quicquam definire. Etenim *ne credamus omni ſpiritui* à Johanne I. Epiſt. cap. IV. 1. monemur. Obſervandum etiam in obſcurioribus ejusmodi & difficilioribus vaticiniis non tam præcisè tempus, quam rem definiri, neque quid in tempore prius & poſterius, ſed quid circa iſta tempora evenire debeat, doceri.

CHRISTOPH. *Alterum facilè transmitto, quod inquis: Non eſſe noſtrum ſcire tempora & momenta, quæ Deus ſuæ poteſtati reſer-*

reservavit, Act. I. Quis enim de temporibus quærit, quæ Deus suæ potestati reservata noluit revelare. Agitur de numeris apocalypticis h. e. revelatis, nam quid ἀποκάλυψις nisi revelatio? Diatr. p. 11.

THEOPH. Non ad tempora solum potestati divinæ reservata, verum ipsam etiam Antichristi ætatem, numeris Apocalypticis adumbratam Salvatoris nostri dictum accommodari posse, communis noster Præceptor Dn. D. Danhavverus docet verbis paulo antea alleg. Antιχρ. Sect. I. art. 8. p. 257. *Quia* (inquit) *finis Antichristi nondum completus, ideò manet hic gryphus eous q. insolubilis; nostrum non est nosse tempora & temporum articulos quos Pater in propria potestate posuit. Actor. I. 7.* consentit Dn. D. Geierus, præl. in Dan. VII. p. 579. Et sane cum Pater cœlestis tempus quo judicandus erit Antichristus in sua potestate posuerit, nostrũ haud erit illius quoq; temporis nosse articulum. Sed ipsa Salvatoris verba expendamus accuratius: Nondum Discipuli somnium illud de erigendo Regno Jsraelitico deposuerant, nec cujusmodi futurum esset Regnum illud spirituale intellexerant, sed quandã poti⁹. somniaverant felicitatem, quæ ipsos ab omnibus ma-

lorum perſecutionibus liberaret; cum Salvator jam jam adſcenſurus inutilem eorũ curioſitatem tali reſponſo retudit: *Non veſtrum eſt ſcire tempora & momenta quæ Pater in propria poteſtate poſuit*; quaſi diceret: Nolite quærere quod non expedit ſcire, fidite tantum, & progreſſum cum exitu Patri Cœleſti permittite. Veſtrum non eſt noſſe quo anno, quo menſe, quo die, qua hora venturum ſit Regnum illud Dei glorioſum atque ſempiternum, & ſimul abolendum Antichriſtianum tem[illegible]orale; quicquid Pater vos ſcire voluit, hoc vobis impartii, tempus illud vobis non aperui, quia Pater ejus arbitrium uni ſibi ſervavit, quo ſemper in officio vigiletis. Facilè hinc colligere licet, non male adeò aut incommodè iſta Salvatoris verba etiam ad excidii Antichriſtiani tempus applicari poſſe.

CHRISTOPH. *Neve exiſtimes me patrocinari velle anonymo calculatori, ut Tu eum vocas, en ipſe tecum nego pernegoq; tam præcisè ſciri tempus excidii Romani, quippe quod nullo certo numero expreſſum ſed ſolum ex vaticiniorum ſibi invicem ſuccedentium ſerie quodammodo colligendum eſt.* Diatr. pag. 12.

THEO-

THEOPH. Quamprimum eruditam Diatribam tuam oculis usurpare licuit, probè intellexi Te neutiquam Calculatoris anonymi Patronum egisse sive advocatum, sed eâ duntaxat occasione vulgares quasdam & magno orthodoxorum Interpretum consensu receptas Sacrorum quorundam vaticiniorum explicationes impugnasse, atque Tuam simul de Antichristi ætate sententiam placidè exposuisse. Ut itaque cœptam collationem feliciter prosequamur, quidnam inter nos controversum sit paucis declara.

CHRISTOPH. *In eo potissima Tecum mihi controversia vertitur, quod Tu numeros omnes temporum, tam qui Dan. VII. & XII. Capp. quam qui in Apocalypsi Johannæa occurrunt, intelligi posse negas, quod nullam habeant significati sui certitudinem pro incerto numero stantes.* Diatr. p. 12.

THEOPH. Antea ostendi, Te minus rectè animi pariter ac examinis mei tradidisse sententiam, *cum nullos prorsus temporum numeros revelatos intelligi posse* nuspiam statuerim, quin temerarios potius temporum scrutatores jure meritoque reprehenderim. Quandoquidem v. septimo Exam. num. præ-

eunte Dn. D. Gerhardo (cui pollicem premunt primi coñatis Theologi, Dn. D. Brochmand Tom. II. LL. de R. P. p. m. 311. Dn. D. Danhavverus loc. all. Dn. D. Mart. Geierus prælect. in Dan. p. 998. & Dn. D. Hieronymus Kromayerus Comm. in cap. XIII. Apocal.) asserui, tempus Regni Antichristiani *eam ob causam tam variè modo per annos modo per menses, modo per dies descriptos fuisse, ne quis præsumere audeat calculum quendam arithmeticum in hisce ænigmaticis mysteriis subducere*; satis apparet, Te non meam adeò quam laudatissimorum istorum Theologorum impugnasse sententiam, imò ipsius B. Lutheri, cujus verba ex præfat. in Daniel. ita sonant: *Dies 1335. nunquam publicè intelligentur, donec impleantur in novissimo die, nisi forte DEUS Noam aliquem exsuscitarit, qui dies hos exactissimè supputare possit.* Huc pertinet accurata epicrisis quorundam Theologorum apud Rost. in progn. Theol. adversus Nagel. edit. Rostoch. anno 1620. E iiij. Weilen aber solche Supputationes und Rechnungen ungewiß / Conjecturen und Menschengedicht / welche der HErr nicht offenbahret / so achte Ichs am allersichersten / besten /

besten/ und gewisseſten/ wie auch Melanchton, Geſnerus, Winkelmannus, Bullingerus, Aretius, und vil andere Theologen/ (quibus annumerandus etiam D. Pappus in Dan. p.229.) der Meinung ſind/ daß man ſolche Zahlen indefinitè verſtehet / alſo daß man zwar denſelben nachforſchet / weil ſie uns groſſen Verſtand geben / aber wann ſie außlauffen / ſoll man GOtt befehlen. Epiphonematis loco modeſtam addo deciſionem Chamieri Tom. II. Panſtrat. Lib. XVII. c. 7. §. 6. p. 370. *Remanent in hoc argumento gryphi, quibus ſolvendis non Oedipo opus eſt, ſed Daniele, ſed Evangeliſta Johanne. Expectet potius Eccleſia poſſidens animum ſuum in patientia, donec impletis omnibus pateſiant quæ nunc ignorantur.*

Sicuti verò Theologorum iſtorum moderationem neutiquam improbandam eſſe exiſtimo, ita Tibi propterea temeritatis notam impingere litemque intendere nolim, quod hæc curioſius forſan rimari volueris. Aſt quoniam non ſine graviſſimis rationum momentis Te id egiſſe conjicio, quænam aut quanta illa ſint nunc porrò videbimus.

CHRISTOPH. *Quæro igitur primum cur Tibi videantur 1290. dies, item 1335. dies, menſes 42. dies tres cum dimidio, nec non tempus tempora & dimidium ſynechdochicè incertum aliquod tempus & innominatum ſignificare; neq; tamen ſimilem tropum agnoſcas in Lxx. hebdomadibus propheticis, apud eundem Danielem c. 9. cum nulla ratio dari poſſit, illic aliquam ſynechdochen, hic nullam intelligendi; niſi quod certitudo prophetici numeri in cap. 9. ipſo eventu omnibus jam patefacta eſt.* Diatr. p. 13.

THEOPH. Antequam ad quæſtionem propoſitam reſpondeam, meritò Te verbis Authoris Libri Coſri, (pag. 26. edit. Buxtorf.) compello: השמעת על אימ֗ר שחולקת בשבוע הידוע שהתחלתו מיום ראשון והשלמתו בשבת׃ *An unquam audiviſti de populo aliquo, qui de hebdomada diſſentiat, cujus principium ſit à die primo & finis in Sabbatho?* Nullum autem dubium eſt, quin Dan. IX. Annorum hebdomades ab Angelo intelligantur, non dierum. Si enim hebdomades dierum accipias, non colliges niſi annum unum & menſes quatuor, intra quod breve temporis ſpatium nihil eorum

rum evenit, quæ ab Angelo eventura prædicantur, cumq; annorum ſeptimanæ tam celebres apud Judæos fuerint, ut ſeptimus quisque annus ex inſtituto divino Sabbatici nomen acceperit, ideò Angelus etiam tempus quod proponebat, per ſeptimanas annorum diſtinguere voluit, h. m. *Septimanæ Lxx.* (ait ille) *DECISÆ ſunt ſuper populum tuum & ſuper Civitatem ſanctam tuam, ut conſummetur prævaricatio, &c.* Ex quo oraculo primò certũ eſt & conſtat apud interpretes, quod ſeptuaginta annorum hebdomades hoc eſt 490. anni *deciſi* fuerint ſuper populum Judaicum & Civitatem Hieroſolymam, intra quod annorum ſpatium Chriſtus venire, peccata expiare, prophetias & viſiones obſignare, & juſtitiam æternam apportare debuit. Deinde tres hujus periodi partes conſtituit ipſe Dei angelus, dividit enim Lxx. hebdomades in ſeptem, ſexaginta duas, & unam, quam diviſionem fruſtra & abſque gravi cauſa factam (licet Scalger Lib. VI. de Emend. Temp. fol. 605. & cum eo D. Calixtus in orat. de Lxx. hebd. judicaverint,) nemo facilè exiſtimaverit. Tertiò, quid quâlibet parte ſingulariter futurum,

turum, ab ipso Angelo satis indicatum est. Primum enim ait ab exitu sermonis de instauranda Jerosolyma esse hebdomades septem & sexaginta duas usque ad Christum Ducem, h. e. fore annos 483. usque ad unctionem sancti sanctorum, deinde instaurationem plateæ & murorum Jerosolymæ perficiendam septem hebdomadibus, i. e. annis quadraginta novem. Tertiò post sexaginta duas & septem illas quas antea dixit hebdomades Christum esse occidendum, ob quod Christicidium quartò significat vastitatem & excidium imminere templo & civitati, & desolationem illam in finem usque perseveraturam. Ne quis verò putet omnes fore reos illius sceleris χριστοκτονίας, addit confirmandum esse fœdus multis hebdomade una h. e. uno septennio. Quæ omnia ex ipso angeli sermone plana sunt & perspicua, nisi quis ultro cæcutire cupiat. Nihil itaque impedit quo minus hîc calculum quendam arithmeticum subducere possimus, cognito enim fine initium latere non potest, nam si à morte Messiæ (quæ in fine 69. hebdomadum eventura hic prædicitur) retroversus numeres annos 483. ad septimanarum initium

tium haud magno negotio devenies, siqúe porrò ab immoto illo passionis termino alii septem anni numerentur, septimanarum harummet finis tandem emerget. Cæterum Angelus pleniorem eorum quæ breviter proposuerat enarrationem vers. 25. aggressus, initium illud sive Epocham unde numerandarum septimanarum ratio iniri debeat, illustrem & peculiari aliqua notâ insignem esse voluit. *Scito igitur* (inquit) *& animadvertito AB EGRESSU VERBI de restituenda & ædificanda Hierusalem usq; ad Christum Ducem Septimanæ VII. & Septimanæ LXII. restituetur & ædificabitur platea & fossa &c.* Habemus igitur è narratione Angelica non solum unicam Temporis speciem quæ est *hebdomas*, sed etiam *terminum à quo*, videl. *exitum verbi de restitutione, &c.* Ac licet terminus ille maximis expositus sit difficultatibus, eas tamen non tam verborum Angelicorum obscuritas, quam Interpretum & Chronologorum in iisdem explicandis & applicandis contentiones (de quibus vid. Dn. D. Calovius in ἐξετ. Theol. de Lxx. Sept. Dan. editâ cum Annot. Antigrot. ad Dan. Prophet. & Dn. D. Mart. Geierus præl. in Dan. pag. 739. seqq.) pepererunt.

Et

Et sanè cum Angelus Gabriel Epocham hanc exordiendam esse dixerit ab exitu sermonis de instauranda Jerosolyma,& reversione populi, facilè colligitur neutiquam huc quadrare edictum Regium *Cyri*, II. Paral.XXXVI. 22.23. & Esr.I 1. seqq. qui templum solummodo non Hierosolymam instaurare jussit, & quanquam jussisset, non tamen promotum fuit opus, sicut Prophetæ & Historiographi θεόπνευστοι clarè testantur; nec insuper mandatum *Darii Nothi*, Esr.VI.1. Hag.I.1. seqq. cum is nullum edictum de populi reversione ediderit,sed tantum prius de Templi instauratione confirmaverit: sed *Artaxerxis Longimani*, cujus verbum exivit tam de reducendis populi reliquiis, quam instaurando Jerosolymæ muro, plateis & tota Politia Judaicâ, atque de hujus Artaxerxis anno septimo disertè scribit Esra cap. VII. 6. *quod eo adscenderit Jerosolymam & impetraverit à Rege omnem petitionem suam secundum manum Domini DEI super se.* Ab hoc itaq; termino seu septimo Artaxerxis Longimani anno, si computationem (cum Centuriat. Magdeburg. Funccio, Bucholzero, Helvico, Cluvero, D. Gesnero, D.Calovio, D.Geiero, aliis-

aliisque) ordiamur, terminum etiam ad quem videlicet passionem Christi præcisè habebimus. Jam verò colligere licet, quam diversa septimanarum istarum atq; mensium & dierum propheticorum sit ratio: Præterquam enim quod circa eorum explicationem inter Christianos interpretes neutiquam conveniat, ipsa sanè applicatio difficillima apparet propterea, quod nec unam temporis speciem, nec terminum præcisè adeò habeamus à quo numerandi sit faciendum initium. Porrò Revelator Angelus dies ac menses illos neque *decisos* dixit, nec eorum finem peculiari aliqua notâ insignem esse voluit. Et quoniam certitudo numeri prophetici in Cap. IX. ipso jam eventu omnibus est patefacta, ac Lxx. septimanæ (à quocunque sermonis exitu initium capiatur) pridem sint elapsæ; in hoc verò mensium atq; dierum calculo præcisè applicando *nos* (dicente Dn. D. Danhavvero l. a.) *clavis interpretationis, quæ experientia eventus est destituat*; haud amplius obscurum erit, cur dies ac menses isti angelici (ipso B. Luthero arbitro) *nunquam publicè intelligentur, donec in novissimo die impleantur.*

CHRI-

CHRISTOPH. *Deinde non video quomodo numerus ille indefinitus incertusq; dici possit, cujus terminum à quo tam studiosè Spiritus S. indicavit, ut Dan. XII. cap. triplici eum nota insigniverit, ne quis calculum inire volens, nesciret, unde numerandi initium facere debeat.* Diatr. p. 13.

THEOPH. Etsi dierum ac mensium aliquam harmoniam indicarit Spiritus, hoc tamen parum videtur facere ad quæstionis illius arduæ enodationem: *Unde vel à quo anno præcisè numerandi sit faciendum initium?* Id enim Dan. XII. cap. neutiquam tam studiosè indicatum fuisse, ut calculum inire volenti terminus à quo certò constare possit, infra D. V. clarissimè demonstrabo. Profectò si Spiritus S. terminum illum exactè adeò indicasset, nobis sine magno labore studioq; de verâ ætate Antichristi optimè constaret.

CHRISTOPH. *Porrò quoties certus numerus pro incerto ponitur, tum is non solet esse fractus aut dimidiatus, sed rotundus & plerunq; symbolicus. ita se res habet Apoc. XI. 13.* ἔπεσαν ὀνόματα ἀνθρώπων χιλιάδες ἑπτὰ. *ubi septenarius millenariorum pro numero in-*

incerto & indefinito positus, millia multa significat: est enim symbolum non solum varietatis, sed & multitudinis: quoniam ipsa totius mundi ætas septenario absolvi non sine causa creditur. Sic eodem Cap. v. 3. binarius, *quo paucitas denotatur (cum sit prima & simplicissima multiplicatio unitatis) innominatum & indefinitum paucorum veritatis testium numerum designat, in comparatione videlicet longè majoris adversantium multitudinis &c. Jam verò isti numeri, de quibus quæstio est instituta nec symbolici sunt, nec perfecti rotundiq́, sed plerunq́ fracti, seu dimidiati, cur enim dimidias portiones Spiritus S. etiam adjecisset, cur Dan. XII. post tredecim dierum centenarios etiam 35. connumerasset, nisi præcisè illum numerum intelligi voluisset.* Diatr. p. 14.

THEOPH. Quidsi verò hos ipsos numeros de quibus quæstio est instituta (videlicet dierum 1260. & mensium 42.) perfectos atque symbolicos esse ostenderem, nonne incertos etiam eos ac indefinitos esse, Te ipso confitente sequeretur? Ager rem aggrediar, Tu re paulo accuratius considerata can-

candidè judica. Maximè perfecti ac Symbolici sunt *Septenarius* & *Duodenarius* seu geminatus senarius numeri; de illo sive septenario nulla plane inter nos est controversia, *cum Symbolum sit* (verba Tua repeto) *non solum varietatis sed & multitudinis: quoniam ipsa totius mundi ætas septenario annorum absolvi non sine causa creditur.* Unde sacratissimus hic numerus & mysteriorum plenissimus tam sacrum augustumque decus obtinet, ut (observante Athanasio Kirchero in Arithmologia nuper Romæ ed. p. 272.) inter eos numeros, qui in denario includuntur, singularem eximiamque præ cæteris rationem habeat. *Nam eorum alii* (scribit ille) *procreant, non procreantur, alii procreantur, non procreant, alii utrumq; faciunt, solus septenarius nec procreat ullum eorum, nec à quoquam procreatur. Unitas enim uti principium omnis numeri, ita gignit omnes sequentes, ipsa à nullo genita. Sic 2. 3. 4. gignunt 4. 6. 9. 10. non tamen gignuntur: Septenarius verò non gignit, nec gignitur, cum non habeat infra se numerum à quo gignatur, neq; intra denarium ullus sit, quem gignat. Hinc appositè à veteribus Pythagoræis dictus fuit Symbolum*

Ducis

Ducis & Rectoris omnium, ut qui cum immobilis sit, nec gigni nec gignere perhibeatur. Eam ob causam Pythagorici etiam huncnumerum Minervæ ex Jovis capite genitæ semper Virgini, sine matre natæ, Symbolum posuerunt. Hunc Ægyptii præ cæteris in summa semper veneratione habuerunt, rerum omnium sigillum statuentes, hic enim in universo septem entium genera denotat, in superiori mundo septenos principes Spiritus, in Zodiaco firmamenti septem configurationes seu aspectus signorum ad invicem, in planetario Cœlo septem Errones, in Elementari totidem metallorum genera, in microcosmo totidem principalia membra, in Luna septenas phases, & quatuor septenorum i. e. 28. dierum periodum; in incremento hominis septem ætates; in fœtus perfectione septem tempora, atque innumera alia quæ mensuræ septenariæ subsant. Nec minus constat *Duodenarium* perfectum & Symbolicum esse numerum, quoniam naturalis est mensium anni, unde & plenæ civitatis tam apud Ezech. quam Platonem est numerus, notante Petro Bongo de Numer. Myst. p. 386. Rursus duodenarius componitur ex senario

geminato, ſenarius autem eſt primus perfectus: quia primus eſt, qui ex omnibus ſuis primis partibus componitur, nam unum duo tria, quæ primæ partes ſenarii ſunt faciunt ſex. Quin & Plato l. 8. de Rep. duodenarium celebrat ut divinum; eaq; propter Platonici ajunt eũ eſſe univerſalis formæ mundanæ & humanæ gubernatorẽ, pluriumq; rerũ propagationi mutationiq; congruere. Duodecim horis dies & nox deſcribuntur, omnesque in duodenario toni ipſaque harmonia muſices continetur. Denique in ipſa Scriptura Sacer frequens perfectus & maximè ſymbolicus eſt hic numerus: Duodecima enim manſione Hebræorum in deſerto deſcendit Deus in Sina, ibique Legem dedit; duodecim Patriarchas Tribus & Principes elegit, totidemque dona offerri juſſit Num. I. 2. ſeqq. Duodecim erant lapides in pectorali ſummi Pontificis. Duodecim à Chriſto electi ſunt Apoſtoli, duodecim fundamenta cœleſtis Jeruſalem (cujus typum myſticum duodenario comprehenſum exhibet Kircherus l. d. p. 291.) & duodecim fructus Ligni vitæ Apoc. XXII. Neque perfectus ſolum & ſymbolicus, ſed incertus & indefinitus etiam in Scriptura hic eſt numerus. Sic quando

do Apoc. VII. 4. & XIV. 3. dicitur è singulis tribubus duodecim obsignata esse millia, certum est ibi per synechdochen numerum certum pro incerto positum fuisse; cur enim tam præcisè centum quadraginta quatuor-millia, & è singulis tribubus duodena fuissent obsignata, cum aliàs constet multitudine hominum unam tribum ab altera nimium quantum fuisse separatam, nisi (quæ vulgaris veraque responsio est,) numerus determinatus pro indeterminato sit accipiendus. Et sicuti Apoc. IV. 4. & Cap. V. 8. per XXIV. Seniores à plerisque non præcisè totidem, nec omnes credentes & electi V. & N.T. intelliguntur, sed eximii quidam & eminentiores totius Ecclesiæ proceres; ita per sexies 24. millia (h. e. 144000.) omnes credentes & electi sive ex Israelis tantum posteris, sive etiam ex Gentibus designantur. Jam verò si numeros de quibus est instituta quæstio, dierum puta 1260. & mensium 42. probe consideramus, eos etiam tales, h.e. perfectos & symbolicos esse deprehendimus, quoniam partim è meris duodenariis vel senariis geminatis, partim è septenariis sunt compositi. Si enim duodecim in CV. ducas, numerus dierum propheticorum 1260. (ex

centum & quinque duodenariis collectus) emerget h. m.

105
12

210
105

1260

Eadem plane quadraginta duorum mensium est ratio, Sex enim Septenarii præcisè 42. conficiunt. Septenarius autem Te ipso dicente, *frequenter de indefinita multitudine accipitur*, hinc R. Kimhi in Comm. Esa. IV. 1. *Mos* (inquit) *est Scripturæ numerum septenarium pro multis usurpare propterea quod omnes dies seculi in septimanas distribuuntur.* conf. D. Glassium Phil. S. p. m. 1371. Cum itaque ex his satis appareat, numeros istos è duodenariis & septenariis compositos, perfectos esse atque Symbolicos, ideò ex illa ipsa assertione Tua, quâ numeros tales incertos dixisti, haud incommodè colligitur, eos etiam pro talibus seu indefinitis esse habendos atq; declarandos.

CHRISTOPH. *Demiq; unius ejusdemq; summæ tam varia periphrasis, quid aliud nobis commonstrat, quam eum numerum qui sub*

sub tot schematibus à Spiritu S. nobis revelatus est, non esse vagum sed certum atq; definitum, utiliterq; facere illos qui studium suum collocant in eo interpretando, non enim tot tenebris ideò involutus est, ut nemo eum intelligeret, sed ne sine debito studio quibusvis promiscue esset obvius. Quod verò sub tot periphrasibus una summa 1260. dierum continentur (nisi quod Dan. XII. primum 30, mox insuper 45. propter causas inferius dicendas adjiciuntur) id tam clarum est, ut in dubium amplius vocari nequeat, nec opus est ullis ad hoc explicandum ambagibus, resolvantur modo singuli illi numeri in gradus Ecliptica, tum uniformitas illa Sole clarius apparebit. Diat. p. 15.

THEOPH. Magna fateor esse videtur temporis, annorum, mensium & dierum harmonia, non tamen clara adeò aut exacta, ut in dubium nulla ratione vocari queat. Primò namque summa annorum 1260. haud ita bene accommodari potest ad ista Danielis & Johannis verba: *Tempus tempora & dimidium temporis*, seu tres annos cum dimidio, hi enim præcisè continent dies 1278. igitur in 1260. diebus desiderantur dies 18. ut idem tempus expleant, atque hunc calculum non-

nemo ſubtilem & ſolidum nuncupat, neque exactam iſtam annorum menſium & dierum convenientiam eſſe, oſtendit Dn. D. Balduinus de Antichr. contra Scop. p. 14. & Phoſph. contra Pazman. p. 956. conf. Dn D. Brochmand. Tom. II. LL. de R. P. p. m. 311. Imò plures cordatiorum (dicente Dn. D. Geiero l. a. p. 987.) hîc maluerunt ἐπέχειν, quam incerta ariolatione dubiam reddere interpretationē quoq; reliquam aliàs fide ſatis dignam. Deinde, Dies illi prophetici (ex Tua etiam ſententia) à prima Antichriſti ætate, ſeu ejus nativitate ſunt inchoandi; menſes autem quadraginta duo tempus duntaxat Tyrannidis ſeu dominii Antichriſtiani deſignant. Ita enim Apoc. XI. legitur: *Datum eſt Gentibus & Civitatem Sanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus*, quemadmodum etiam Cap. XIII. 5. de Beſtia prima ſeu Imperio Romano dicitur: *Et DATA eſt Illi POTESTAS facere menſes 42.* unde liquidò conſtat, hanc periodum tantùm de tempore Regni ſeu Dominii intelligendam, neutiquam verò cum iſto dierum ipſam ætatem Antichriſti deſignantium calculo eſſe confundendam. *Aliud namq; eſt* (en Tua verba

cm 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 6;Leibn. Marg. 72, [58] - 38
PUBLIC DOMAIN

ba Diatr. p. 70.) *regnare aliud nasci, natus enim est antequam regnaret.* Deniqúe magnam observationem meretur, quod ille dierum mensiumq; numerus diversis adeò rebus dominiisque assignatus fuerit, nimirum dierum 1260. numerus, ut & ille temporis temporum & dimidii temporis terminus etiam occurrit Apoc. XII. 6. 14. & alter mensium 42. Apoc. XIII. 5. *neq; tamen tempus Regnè Antichristiani* (verba Tua Diatr. p. 98. adscribo) *sed ejus bestiæ significat, quæ Romanum Imperium vetus repræsentat.* Quæ omnia satis innuere videntur, haud adeò claram aut exactam esse istam annorum mensium & dierum convenientiam, neque ineptam aut incongruam Theologorum antea laudatorum sententiam. Sed ponamus clarissimam atq; exactissimam esse illam harmoniam, certè nihil aliud ea nobis commonstraret, quam numerum sub tot schematibus revelatum, non vagum sed certum ac definitum esse in Dei consilio, quo de nulla plane inter nos est controversia; in humano verò calculo quantum ad terminos nihilominus incertus ille ac vix pervestigabilis remanebit. Etenim si vel maximè tempus determinatum intelligatur,

tamen (B. D. Gerhardo Comm: in Apoc. XI. judice) exactè scire non possumus, unde computationis initium sit faciendum? *Quia enim Angelus* (ita egregiè monet D. Gelnerus Elucid. Proph. in Dan. §. 185.) *non præcisè ipsum annum initii expressit, sed principium notis quibusdam descripsit, ideò nos quoq; non decet scrupulosè de anno, mense & die initii horum numerorum inquirere, præsertim cum Papalis idolomania non uno impetu unoq; anno proruperit, sed successivè in Ecclesiam irrepserit.* Verum cum de eo infra etiam sit agendum, nunc nihil amplius addendum existimo, præterquam quod sanctè contester, me neutiquam propterea improbaturum aut inutile prorsus vocaturum sive Tuum sive aliorum in numeris istis interpretandis studium, præsertim cum probabilem etiam ætatis Antichristianæ cognitonem (licet non infallibilem) dari supra judicaverim. Sanè si posthabitis istis rationjbus pariter ac Maximorum virorum suffragiis omnibus, in Tua de Numeris illis sententia persistere velis, per me facilè licebit.

CHRISTOPH. *Quia è Sacris literis certum est, Antichristiani Regni periodum, quæ*

quæ tam brevis esse non potest, per hos numeros describi, Tuq; hoc negas, ideò operam dabo, ut ex ipso textu Prophetico meam thesin demonstrem. *Numero itaq; VII. tui examinis* Adversus Calculatorem *inquis*, nostrum ita concludimus: nullum certum Antichristiani Regni tempus in scripturis præfinitum, verum silentio planè involutum fuisse. *Et ibidem, statim ab initio scribis:* Mentio in Sacris Dan. VII. 25. cap. XII. 7. Apoc. XI. 2. cap. XIII. 5. habetur mensium 42. dierum 1260. temporis temporum & dimidii temporis, quibus unum idemq; temporis spatium, videl. annos 1260. denotari noster contendit. In quibus tamen locis abunde constat, nullam prorsus Antichristi mentionem factam, nec ejusdem dominii tempus præfinitum fuisse. Diatr. p. 17. & 18.

THEOPH. Quod ad generale hoc meum pronunciatum attinet, id disjunctivè intelligendum esse protestor, scilicet in quibusdam locis à calculatore anonymo allegatis, ut Dan. VII. 25. & Apoc. XIII. 5. nullam prorsus Antichristi mentionem factam, in cæteris verò locis nimirum Dan. XII. 7. & Apoc. XI. 2. ejusdem dominii rempus

neutiquam ita definitum fuisse, ut in dubitatò constet, quo anno dies illi 1260. menses quadraginta duo, & tempus tempora cum dimidio præcisè sint incipienda.

CHRISTOPH. *Videbimus igitur de locis singulis. Dan. VII. 25. sermonem dicis fuisse non de Antichristo Romano, sed cum de prophanata religione Israëlitica sub tyrannide Antiochi Epiphanis, tum de Muhammedica Dominatione, qua etiam Ecclesia sit affligenda, quæq; duratura sit per tempus tempora & dimidium temporis, ubi ad numerum præcedentem Te refers, quo fusius ostendere conaris Corniculum istud parvum de Turcico Imperio capiendum esse, secutus authores præcipui nominis, primiq; subsellii Theologos, à quibus mihi religio esset discedere, nisi tot tantorumq; interpretum authoritati pondera rationum prævalerent, quæ de Antichristo Romano parvum cornu interpretari suadent. Ideoq; post diuturnam in alteris castris moram hanc mihi nunc sententiam amplectendam putavi.* Diatr. pag. 19.

THEOPH. Major penè de hoc parvo cornu quam de decem Magnis est controversia. Judæi nescio quo impudentiæ œstro per-

perculsi, Christum Salvatorem titulo cornu parvi mactant, ejus interitui subjungentes Regni sui quinti utopici ortum, reclamante licet gravi voce revelatore Angelo: *usq; ad finem perseverabit desolatio.* Paulò itaque prudentior recens Saadias, licet itidem sine fundamento Titum aliàs Vespasianum cornu parvum appellavit: Et Christiani nominis hostis accerrimus Porphyrius illud solùm de Antiocho Epiphane est interpretatus, cujus sententiam jam pridem à SS. Patribus & Ecclesiæ Doctoribus, Hieronymo cumprimis damnatam, ætate nostra firmam reddere conatus est H. Grotius in suis ad Cap. VII. Dan. annotationibus, ac licet in quibusdam circumstantiis ab illo dissentire videri voluerit; harmoniam tamen pariter ac falsitatem sententiæ Porphyrio-Grotianæ non ita pridem egregiè ostendit Celeb. D. Calovius, in vindic. Capitis istius septimi à corrupt. Grotian. conf. Sal. Gesneri Dispp. Biblic. in Dan. ⊙ 115. seqq. & Ben. Perer. Comm. in Dan. Lib. VIII. p.m. 355. Cæterum Pontificii ad unum ferè omnes pertinaciter propugnant, Cornu parvum neminem alium nisi Antichristum adhuc appariturum primariò significare,

Ita

Ita Bellarm. Lib. III. de R.P. cap. 16. Schoppius de Antichristo, Lessius de eod. Demostr. 14. p. 104. Sanderus demonstr. 18. & 29. Gretserus in defens. Bell. Becan. Tom. II. opusc. cap. I. p. 171. Maldonatus, Pererius, Cornel. à Lap. in h. l. quo fine autem & consilio quilibet me licet tacente probè intelligit, scil. cum utopicum suum Antichristum nuspiam aliàs in sacris literis inveniant, omni impetu locum hunc ad eundem detorquere conantur. Et quamvis ex antiquis Christianæ Ecclesiæ Patribus quidam hunc typum de Antichristo etiam sint interpretati, certum tamen est eos Antichristum talem qualem Romanenses fingunt ne per febrem quidem somniasse. Imo Patres quandoque in ejusmodi hallucinari mirum non est, *cum* (teste Iren. Lib. IV. contra Valent.) *omnis prophetia antequam habeat efficaciã ænigma & ambiguitas sit hominibus, cum autem venit tempus & evenit quod prophetatum est, tunc demum habet liquidam & certam expositionem.* Taceo acrem censuram Salmeronis, quam refert Amama Antib. p. 688. Ideoque Nostrates numero Exam. mei sexto indicati, cornu istud parvum de Antichristo quidem, sed Ori-

Orientali non Occidentali, h.e. de TURCA huc usque intellexerunt, utpote ipse Theander Lutherus (quo, B. D. Danhavvero judice, post viros Theopneustos meliorem prophetiarum interpretem Sol nunquam vidit, neque videbit,) in exquisita non minus quam prolixâ explicatione Cap. VII. Dan. Tom. II. Witteberg. p. 555. seqq. So spricht nun (scribit ille) Daniel/ daß nach solchen 10. Hörnern erst kombt das kleine Horn/ zwischen den 10. Hörnern. Hie kombt und findet sich der Türck/ dann gleich wie das kleine Horn unter den zehen aufwächst/ und stösset derselben 3. weg/ also muste ja kommen ein Königreich/ das in den obgenanten Ländern und Königreichen des vierdten Thiers oder Kayserthums wuchse/ und derselben 3. gewinne. Solches alles zeigt und bezeigt auch das Werck/ und stimmet mit dem Text/ daß der Mahomet dasselbe kleine Horn seyn muß/ dann er ist vom geringen Anfang aufkommen/ er ist aber also gewachsen/ daß er 3. Hörner im Römischen Kayserthum hat abgestossen und eingenommen/ nemlich Egypten/ Griechenland und Asien/ &c. Nec minus B. Lutheri Parastata Phil. Melanchton in Comm. ad VII. cap. Dan. Vaticinium

cinium hoc de cornu parvo non nisi ad Saracenicum Regnum accomodari posse dilucidè ostendit. Et D. Sal. Gesnerus l. a. §. 130. VERAM & CONSTANTEM ORTHODOXORUM sententiam esse tradit, per Corniculum illud neminem præter Turcarum Tyrannum designari. Quam explicationem etiam D. Balduinus Tom. II. Disp. Witteb. Disp. II. c. I. §. 6. D. Gerhardus Tom. IX. de Extr. Judicio §. 91. D. Phil. Nicolai Lib. II. c. . de R. C. D. Hülsem. Disp. de IV. Monarch. Cap. II. D. Calovius l. all. D. Mart. Geierus prælect. in Cap. VII. Dan. p. 575. D. Hier. Kromayerus in procem. Hist. Ecclesiast. pag. 5. aliique plurimi ex attributorum competentia firmam reddiderunt. Quo Orthodoxorum Interpretum consensu fretus D. Joh. Musæus nuper admodum in vindic. Bibl. Ernest. contra Erberm. p. 228. graviter scripsit: *Quod Dan. VII. 25. juxta Lutherum & Lutheranos agatur de Antichristo, & significetur eum regnaturum esse per tempora & tempus & dimidium temporis &c. subleſta fide dicitur, cujus contrarium publica illorum scripta cuivis leviter ea inspicienti, testatum facient.*

Et

Et ante eum D. Alb. Gravverus Tom. I. Anti-Jes. Disputat. IX. §. 31. pag. 762. scribere non dubitavit: *Per alium quem Daniel ex decem illis proditurum esse scribit, non nisi Antichristum intelligi posse & debere, nondum demonstravit Becanus, NEC UNQUAM DEMONSTRABIT.*

CHRISTOPH. *Religio* (ut dixi) *mihi esset ab his præcipui Nominis primique subsellii Theologis discedere, nisi tot tantorumq; interpretum authoritati pondera rationum prævalerent, quæ de Antichristo Rom. Parvum cornu interpretari suadent. Ideoq; post diuturnam in alteris castris moram, hanc mihi nunc sententiam amplectendam putavi.* Diatr. pag. 19.

THEOPH. Quoniam igitur Rationum momentis potius, quam clarorum Virorum suffragiis decertare statuisti, quænam aut quanta illa sint nunc paulò accuratius scrutabimur. Omne autem sententiæ Tuæ præsidium atque fundamentum collocas in exactissima Corniculi istius cum Papa Rom. convenientiâ; atqui eam in Turcico etiam

Im-

Imperatore dicam an Impoſtore, laudati Interpretes obſervarunt, omniaque & ſingula in textu indicata criteria ad unguem Turcicæ Beſtiæ accommodarunt. Et ſane ſi in toto Mundo jam circumſpicias, cunctaque Orbis Imperia conſideres, nullum uspiam reperietur, cui omnia adeò exactè competant, quæ corniculo huic aſſignantur, quam Mahometana colluvies, unde facilè conſtat, illam ipſam, neque aliud Regnum parvulo hoc cornu denotari. Etenim ad illud exactè conveniunt I. ORTUS, ſive ipſa Corniculi primordia, II. NATURA & proprietas in textu indicata, III. POTENTIA & Locus, IV. denique FINIS ſive duratio. Ratione ORTUS conſideranda eſt tum parvuli appellatio, tum ipſe originis modus: Illâ (ſeu voce זעירה) inſinuatur Regni Turcici primæva ſors & conditio, nempe quod initia Regni Turcici fuerint admodum exigua; cum Mahometes initio infimæ ſortis atque conditionis homo Patre Abdalla & Matre Emena Anno Chriſti 560. natus, à Scenitis poſtea ferociſſimis Arabiæ populis abductus, ſingulari vafricie & induſtria eos ſibi devinxerit, incredibili dehinc ſucceſſu brevi tempore

pore incrementum fecerit, ad tantam (quam omnes ingemiſcimus) potentiam pervenerit, Regniq́ue Turcici initia poſuerit; hinc illud etiam dicitur *ſurrexiſſe*, h. e. è vilibus primordiis ad magnam proveniſſe eminentiam. Quod verò originis modum attinet, uſurpatur de eo apud Dan. verbum סלקו quod de ortu beſtiarum è Mari etiam adhibetur verſ. 3. *quatuor bestiæ Magnæ adscendebant è Mari diversæ inter se*; ex quo colligitur, cornu illud parvum ſeu Regem cornu iſto denotatum non per ſucceſſionem ſed per novam adſcenſionem ad Regnum perventurum, id quod eventus ipſe ſatis comprobavit. Eaq́ue propter ſcitè admodum cornu illud S. Hyppolitus appellavit ὡς ἀνθυφυάδιον, *tanquam pullulum*. Obſervant autem Budæus & Henricus Stephanus Paraphyada dici quæ adnaſcuntur arbori, Plinio *adnata*, aliisq́ue adnaſcentia ſive appendices; atq́ue in plantis ramulos qui juſto germini adnaſcuntur & ſuccreſcunt, quaſi proles nova & adſcititia è caule ſponte pullulant. Ut proin jure meritoq́ue cornu illud Turcicum dici poſſit *pullulum*, quaſi adnatum, ac proles nova & adſcititia, ſpurium & illegitimum germen,

ſurculus peſſimus, nimirum falſus & intruſus Imperator atque Tyrannus. Nec minus ei H. exactè reſpondet ipſa Corniculi *NATURA* ſeu proprietas, hiſce verbis in textu adumbrata: *Et Ecce Oculi quaſi oculi Hominis erant in Cornu iſto, & Os loquens ingentia.* Per oculos Scripturam denotare ſapientiam prudentiam & aſtutiam ex illo Eccleſiaſt. II. 14. colligitur: *Oculi Sapientis ſunt in capite.* Quam benè verò id cum Turcico Corniculo conveniat, haud latet illos, qui eventum cum prophetia conferentes, vafriciem & aſtutiam ſummam in Turcarum Tyrannis huc usque obſervarunt, eaque propter Argo Centoculo eos comparare non dubitarunt. Et licet magna in hunc usque diem Turcarum ſicut olim Saracenorum ſit barbaries, in augendo tamen Imperio ſuo oculatiſſimi ſunt, omnesque occaſiones captant quibus vicina territoria occupent atque ſubjugent. Imò Turcam quandoque melius quid in Romano Imperio accidat noviſſe quam aliquos Imperii Status, ſatis hactenus experientia docuit. Quanta etiam ipſius Mohamedis olim fuerit aſtutia, ex ejus hiſtoria & Alcorano

no prolixè oſtenderem, ni alia magis neceſſaria nunc eſſent expedienda. Altera igitur Corniculi proprietas eſt *Os Loquens ingentia* i. e. horrenda, blasphema, quæ ſubinde in DEUM glorioſum maledictus evomit Alcoranus. Si non vacat legere librum ipſum, ejus duntaxat compendium à Geufræo Lib. IV. Aulæ Turc. & F. Richardo Tom. II. Witteberg. Germ. Lutheri elaboratum perluſtra, & veritas ſtatim huic effato conſtabit. Benè etiam notandum ipſum Alcoranum teſte Salom. Schvveigero Lib. II. Itin. cap. 53. etiamſi ſemper mentiatur, tunc tamen veritatem dicere, quando memoriæ tradit, ſe quidem continere ambitu ſuo 12000. dicta, nihilominus novem millia falſitatem redolere; ita malignus Spiritus ſponte ſua prodit mendacia. Tertio conſideranda etiam eſt Regni Turcici cornu parvo adumbrati POTENTIA, de eo ſiquidem dicitur quod tria cornua è decem cornibus beſtiæ ſit evulſurum, h. e. tres Reges humiliaturum, uti explicatur ab Angelo verſ. 24. optimè id etiam quadrat in Regnum Turcicum; Nam Muhammed Dux militum factus an-

nuo ſpatio non tantum urbem Mecha, quæ ipſius erat patria, ſed etiam potiſſima Arabiæ parte bello potius eſt, neque ſucceſſores ejus quieverunt, donec Tria iſta inſignia cornua, videlicet Ægyptum, Aſiam & Græciam, in totum detruncarint: unde Daniel de hoc corniculo ſubjungit verſ. 20. quod in principio parvum ſed poſtea cæteris majus factum fuerit. Audit enim Sultani Imperium & Syria, ſed cum Ægypto uni Tomambejo ademta à Selymo: Græciæ ut Matri ſuæ adhærent circumjacentes Cyprius Rhodus & Cyclades Inſulæ; eidem incorporatæ Romania, Servia, Bulgaria, Boſnia, & ut quidam volunt Hungaria, cujus tamē vix dimidiam tenet partem. Parthiam, Armeniam & Meſopotamiam non nobis ſed Perſis extorſit, iisdem etiam Aden, Ormuzium Arabiæ dominia, licet ea ipſa ancipiti fortuna Hiſpanis aliquando & Anglis paruerint. Deniq; verſ. 21. dicitur quod Cornu parvum bellum ſit adverſus Sanctos excitaturum, iisque prævaliturum, quod de Beſtia Mahom. impletum eſſe triſtis experientia ſatis docuit. Turcæ enim inde usque ab initio Regni ſui bellum cum Chriſtianis geſſerunt, eosque magnis vicêre præliis, uti

uti hiſtoriæ prolixè teſtantur. Reſtat quartò Dominationis hujus Terminus ſive Duratio, quam Revelator Angelus per Tempus Tempora & dimidium temporis definivit; Sicuti etiam Apoc. XII. 12. Mulier Eccleſiam adumbrans fugere dicitur *tempus tempora & dimidium temporum*, atque cap. XIII, 5. de beſtia prima dicitur: *Et data eſt illi poteſtas facere menſes 42.* ſed cum de iſto Termino poſtea etiam ſit agendum, id ſolum jam probè notari, atq; obſervari velim, quod cornu iſtud parvum deſtructum dicitur ſub adventum Domini ad judicium. Tunc enim immediatè & corpus beſtiæ & cornu parvulum atque adeò omne Imperium terrenum in ipſo extremo judicio à Chriſto Judice delebitur, & juxta verſ. 12. totaliter abrogabitur. *Et poſt interitum illorum nullum amplius erit tempus, ſed ſuccedet ei Regnum Sanctorum æternum, verſ. 27.* Satis opinor inde apparet me neutiquam temere in vaticinii Anglicani examine eorum ſententiam amplexum eſſe, qui eventum cum prophetia conferentes, cornu illud parvum de Turcico Imperio hactenus expoſuerunt. Nunc Rationum illarum pondera ſunt conſideranda,

quibus Tu V. D. inductus, à primi subsellii Theologis discedere, & post diuturnam in alteris castris moram adversam sententiam probare non dubitasti. Quænam igitur aut quanta illa sint quæso indica.

CHRISTOPH. *RATIONES sunt istæ: I. Quia Cornu parvum de Medio reliquorum cornuum dicitur exortum. Ubi ad rem nihil facit observatio Idiotismi, de quo scribis: De Medio eorum non significat ortum esse cornu ex eo, quod propriè dicitur medium, i.e. à quo æquali spatio distant extrema, sed inter illa decem cornua ortum esse etiam cornu aliud exiguum, &c. Nam hoc ipsum de Muhammedica dominatione falsum est, quæ non inter decem Regna in Romano solo existentia, sed extra illa est exorta, ipsumq; illum numerum denarium Regnorum, postea-quam in Romano solo sedem fixit, complevit.* Diatr. p. 19. & seqq.

THEOPH. Imò hoc ipsum de Muhammedica dominatione verum esse patet ex iis quæ de Regni illius primordiis memorant authores fide dignissimi, Pompejus, Lætus, Cedrenus, Laonicus, Chalcondilas, P. Jovius, Volateranus, Cœlius Curio, & alii

alii plurimi, apertè satis indicantes hanc descriptionis partem quod corniculum ortum sit è medio decem Cornuum, Muhammedico Regno egregiè convenire, siquidem Arabes tum Romanis paruerint, ast singulari quâdam contumelia affecti ab iis defecerint, & cum Muhamede irati se conjunxerint. Cum enim sub Heraclii signis adversus Cosroëm Persam præclarè militassent, stipendia autem ipsis debita ut Arabicis Canibus (hoc enim responsum acceperant à Quæstoribus,) non solverentur, in furorem acti, ab Imperatore defecerunt, & creato belli Duce Mahomete, Arabiam statim invaserunt, Syriam expugnarunt, Ægyptum subjugarunt, Africam deniqúe forti manu sibi subjecerunt. His viribus auctus Muhammed, Meccam summo conatu oppugnaturus petiit: congressusque prælio cum Meccensibus ad Bredinum amnem, trecentis Meccæ patriciis præter ingentem aliam multitudinem cæsis, superior evasit, adeò ut eo prælio penè omnis Meccæ nobilitas fuerit extincta, conf. Cæl. Aug. Cur. Hist. Sarac. Lib. I. Cuspin. in Mahom. Gregorii Abulfaraji Spec. Hist. Arab.

pag. 10. seqq. & Cel. Hottingeri Hist. Orient. Lib. II. cap. 5. Quod verò Gens illa tunc cum dominationem moliri inciperet intra Romanum solum aliquid possederit, adeoq. Cornu illud parvum inter decem Regna in Romano solo existentia ortum sit, inde apparet, quod teste Zonara (Tom. III. Annal. p. m 70.) *Muhamed ex Æthribo progressus Imperatorem convenerit, & REGIONEM AD HABITANDUM petitam acceperit.* (ὅτ᾽ ὢν ἐκ τῆς Αἰθρίβος πρωτοιὼν, προσῆλθεν τῷ Βασιλεῖ, χεῦραν αἰτῶν εἰς καλοίησιν, καὶ ἔλαβεν.) Huc etiam pertinet memorabilis Relatio Roderici Ximenez Archiep. Tolet. à Thoma Erpenio cum Elmacini Histor. Sarac. in lucem ed. in cujus cap. 3. & 4. hæc verba reperies: *Anno Imp. Heraclii septimo, & Sisebuthi Regis Gothorum quinto, nativitatis suæ quadragesimo, Mahomed vidualibus divitiis inclitatus, & falso miraculo lapidis à pluribus approbatus, cœpit grandia cogitare & REBELLIA contra Romanorum Imperium cogitare; & clanculis suasionibus populos concitare, ostendens eis qualiter servitutis amaritudine premerentur, & extinaniti censibus & tributis, paupertate continua vexarentur, & sola ignavia*

via teneantur, cum vi & numero possent repellere potentiam Romanorum. Cumq; plurimis taliter suasisset, accidit quod Heraclius Imp. mitteret nuntios pro tributis: sed Mahomed cum suis complicibus hoc prænoscens eis occurrit, & NEGATIS TRIBUTIS fultus audacia interfecit: & sic assumtis viribus interdum furtim, interdum publice, prout negotium exigebat, Syriam, Arabiam, & Mesopotamiam fraude potius quam virtute suo proposito inclinavit: & adeò Civitates & oppida stimulavit, ut jugo servitutis abjecto, jam apertè inciperent rebellare. Hactenus Relatio Roderici, quæ disertè docet, Arabes Romano Imperio subjectos, turpiter defeciſſe, ac proin Cornu illud Turcicum inter decem Regna in Romano solo existentia ortum fuisse. Quomodo enim Saraceni infami REBELLIUM stigmate cum ipso Mohamede notari, aut censibus & tributis ab Imperatore exinaniri (uti Ximenez loquitur) potuissent, nî aliquid intra Romanum solum possedissent, ac pridem colla sua jugo Romano submisissent? Quod si verò Tibi V.D. concederem, Imp. Turcicum non intra decẽ Regna in Romano solo existentia, sed extra

illa esse exortum, tunc sanè Regno huic tanto magis convenient ea quæ de cornu parvo in textu sacro traduntur, h. m. ואחרון יקום אחריהמה: *Et ALIUS consurget posteos.* Cum ipse Muhammed ALIUS à decem cornibus, nec ex numero Regum vel Principum sub Imperio Romano tum comprehensorum fuerit, sed obscurus quidam erro ex Arabiæ angulo oriundus, cujus Dominium Tyrannicum pedetentim adeò excrevit, ut tertiam de Imp. Romano partem succideret: Alia igitur Tibi petenda ratio, sed unde?

CHRISTOPH. *Secunda è Cornu parvi* Unitate; *notissimum est, singula cornua singula Regna significare, atqui Muhammedica Regna (etiam sepositis illis, quæ extra Romanum solum sunt, Persico, Tartaricoq;) non sunt unum, sed plura in hodiernum usq; diem: quanquam adhuc plura erant ante Mamluchorum Imperium in Ægypto & Syria destructum. Et cæt.* Diatr. p. 22.

THEOPH. Satis mirari nequeo, Te Unitatem Imperio derogare Turcico, cum sub uno maxime Imperatore una Lege & Reli-

Religione huc usque constitutum fuerit, ad tantam potentiam atque amplitudinem pervenerit, imò inter causas Imperii hujus conservantes primus facilè locus ejus UNITATI à prudentioribus quibusque assignatus fuerit. Licet enim Regnum Muhammedicum non unum, sed plura in hunc usque sint diem, ab uno tamen Capite Rectore vé ita dependent, ut maximè unum esse videantur. Quamvis etiam in sectas ratione rituum quorundam inter se divisi sint Muhamedani, unitatem tamen & concordiam in uno Alcorano servant pertinacissimè. Cujus unitatis conservatæ causa putatur potissima, brutalis populi ignorantia, ex severa illa prohibitione orta, *Nequis de lege ipsorum disceptet.* Notum enim est quam providè Turcarum Tyrannus ex Mahometis instituto caveat, ne fides sua in dubium vocetur, si verò quosdam id conari intelligat, mox ipse quæstiones solvat acinace, quâ ratione (judice Politico quodam) *Unitas* per totum Turcarum Regnum retineatur, illudq; ab internis dissidiis tutum præstetur. Quemadmodùm enim versipelle & astutum illud Diaboli mancipium Muhammed, novæ religionis vinculo eas etiam colligavit gentes, quæ natura aliâs & ingenio

fue-

fuerunt diversissimo; ita etiam idem ille subodorari facilè potuit, nihil causæ suæ & teneræ Reip. majus illaturum damnum, quam si animi variarum religionum divortiis distracti dissentirent, eaque propter sedulò cogitavit, qua ratione unam intra limites suos habere posset fidem atque religionem, unde edictum ejus de non tolerandis duabus in Arabia Religionibus apud Elmacinum pag. 8. ita sonat: *Ne concurrant in Insula Arabiæ duæ Religiones.* Quorum verborum Pseudoprophetæ emortualium memor Omarus filius Alchitlabi, ne quidem Judæis fœdere licet unitis, locum in Arabia concedere voluit, sed finibus ejus ejecit.

CHRISTOPH. *Quod si Religionis unitas facit ut sint unum cornu, addas etiam necesse est Persas Tartaros q. non minus eadem Muhammedis sacra agnoscentes, propter q. Religionis unitatem Christianos quoq. Reges unum cornu dices esse, ut non decem amplius, sed duo tantum cornua fiant, in quæ Romana bestia sit divisa.* Diatr. p. 23.

THEOPH. Persas & Tartaros à Turcis ἀφ' ἁπασῶν differre, dubitare nos non sinunt tot gravissimorum authorum id ipsum asseren-

asserentium testimonia. Inter quæ eminet illud Texeræ apud Clar. D. Hottinger. Hist. Orient. Lib. II. cap. 7. pag. 589. *Sectæ quidem* (inquit ille) *sunt plures, duæ tamen principales, Suny, seu Mahumetanorum, quam Arabes & Turci sectantur, omnesq; alii qui Alcoranum observant sine ullis commentariis aut expositionibus: Et Xyahy qui mores Ali sequuntur, uti PERSÆ & alii.* Atque hoc discrimen adeò notorium esse monet laudatus Hotting. ut vel Christianos facilius ferant, quam vel Persæ Arabes, vel hi illos: quemadmodum Muhammedanos Islimicos, Gingis. Chanicis, non minus quam Judæos Samaritanis infensos esse docet Ampliss. & Celeberr. Dn. Boeclerus in Histor. Timuri, Dissert. Acadd. pag 410. de origine verò & successu horum dissidiorum atq; simultatum D. Hotting. distinctius & accuratius paulò quam fieri solet, disseruit pag. 590. & seqq. Cumprimis verò notandum, discordiã istam altiores egisse radices, ubi de Religione agi cœptum est, & Persæ Alim suum Deastrum venerari cœperunt, usque adeò ut proverbium inter eos natum fuerit: *Ali pro Deo non agnosco; sed nec procul eum à Deo esse scio.*

Magnæ

Magna proinde imò majori veneratione apud Persas hodiè est omnes, paucis admodum exceptis quam ipse Muhammed, majora etiam Persæ tribuunt Ali, tertio à Muhammede Chalifæ & successori, quam præde-cessoribus reliquis miracula diversimodis scriptis comprehensa, conf. Celeber. Hottingerum l. alleg. nec non Rerum Persicarum Scriptores, Joh. Andr. Maurum cap. 3. Sionit. ac Hesronitam cap. 8. & Greg. Abulfaraji Specim. Hist. Arab. cum Comm. Ed. Pocokij; Unde discimus sectas eorum esse vel circa *radices*, vel circa *ramos*: Priores sunt circa quatuor capita Theologiæ Scholasticæ, 1. De unitate & Attributis Dei. 2. De Decreto Dei & judicio. 3. De promissis & minis. 4. De prophetia & munere antistitis. Circa hæc capita sectæ potissimum sex numerantur, quarum singulæ in alias species dividuntur, ita ut ad numerum 73. excreverint. Magnam denique observationem meretur quod Scaliger Lib. V. de Emendat. Temp. p. 523. dicit: Reges recentiores Persarum ideò *Tsophi* nominari, h.e. puræ religionis hominem, & in melius reformatum, quod suam Religionem talem esse jactent, ideòque cum

Muham-

Muhamedanis Turcicis capitale odium exerceant. Porrò certissimum est nec Tartaros eadem plane cum Muhamedanis sacra agnoscere, sed religione non minus quam habitu cæterisque ritibus à Saracenis omninò differre. Plurimos quidem Muhamedismo ex parte addictos esse haud nego, non pauciores tamen Christianam imò Gentilem etiam Religionem sectari, Rerum Tartaricarum scriptores indicant. conf. Alex. Rossi Tract. de diverss Relig. in Asia, Africa &c. p.m.139. seqq. Et quamvis antiquissimo in usu apud plerosque circumcisio fuerit, neutiquam tamen propterea eadem cum Muhammedanis sacra Tartaris omnibus sunt tribuenda, cum notissimum sit illam consuetudinem plurimas Gentes olim adhibuisse, neque tamen eadem cum Turcis sacra agnovisse, ut Colchos apud Herod. & Diod. Lib. I. Ægyptios trad. Phil. Jud. de circumcis. & Strab. Lib. XVI. nec non Phœnices, refer. Cyprian. Lib. de Circumc. & Niceph. Lib. VIII. c. 35. Quid quod M. Paulus Venetus (qui totos 17. annos in aula Magni Chami versatus, eique intimus factus,) multa de Tartaris annotaverit, de illorum tamen circumcisione ne γεύ injecerit, sed tantum eos vetusto instituto Idololatras fuisse, Numenq;

quod-

quoddam fictitium *Natigai* (quod eorum lingua Deum Terræ significat) coluisse, tradiderit Lib. III. c. 47. Nec deniq; inter Christianos Reges talis apparet Religionis unitas, ut propterea cornu unum dici possint, & si vel maximè appareret, ea tamen neutiquam efficiet, ut ad Imperii Turcici modum Regna Christiana *unum cornu* dici appellarive possint, cum nec sub uno amplius Imperatore, nec una Lege & Religione sint constituta. Quàmvis verò unitatem Imperio Turcico derogare conatus fueris, qua ratione tamen ea Regno Pontificio conveniat neutiquam ostendis. Huic sane minimè tribuendam esse UNITATIS notam, Theologi orthodoxi hactenus luculenter ostenderunt. *Est enim* (verba B Dn. D. Danhavveri ex Hodom. Spir. Pap. Phantasm. II. p. 460. adscribo) *Synagoga Romana divisa primum inter se cum studiis Religionum, ex ipso Religionum genio natis: tum sententiis etiam de fide, formali contradictione inter se militantibus*; cujusmodi sunt contentiones inter Jesuitas & Dominicanos de Conceptione B. Virginis; inter Thomæ discipulos & assertores scientiæ mediæ, in doctrina præfinitionum divinarum;

rum; inter Suarez & Vaſquez, in pleriſque Scholaſticis controverſiis perpetuo diſſentientes: inter Bellarminum & varios authores Pontificios; adde compendium rixarum ex Hiſtor. Trid. Concil. concinnatum à D. Hülſem. in Man. A.C. p. 1314. ſeqq. Cujus ſupplementum haud adeò contemnendum ex Indice Librorum Prohibitorum Alexandri VII. juſſu 1664. Romæ edito nunc dare, plurimaque diſcordis illius Romanenſium concordiæ ſpecimina edere poſſem, nî de eâ orthodoxis omnibus aliâs quàm optime conſtaret. Egregiam tamen obſervationem meretur, quod in ſolo decreto ſexageſimo ſeptimo illius Indicis, die 10. Junii 1658. dato Libri ſequentes damnati ſint atque prohibiti: I. *Magni Bullarii Romani Tomus IV. PP. Urbani VIII. & Innocentii X. conſtitutiones complectens ed. Lugd. Donec auferatur conſtitutio XXV. incipiens Sacraſanctæ Rom. Eccleſiæ, ſive pag. 279. deleatur à linea, Bulla confirmationis Religionis Clericorum, usq; ad lineam: Conſtitutio ſuper approbatione; Auferantur præterea ſex paginæ à pag. 289. usq; ad p. 300. ſive à linea pag. 289. incipiente: In nomine Domini Amen: deleatur usq; ad lin.*

pag. 300. incipientem: Declaratio nullitatis literarum: II. Anonymi opusculum, quod inscribitur A.S.C. dissertatio pro Francisco Suarez de gratia ægro oppresso collata per absolutionem à Sacerdote præsente impensam prævia peccatorum expositione epistolari. III. Domus Sapientiæ, quam septem suffulta per allegoriam columnis Fr. Lucas à Monteforti Mariæ Cultoribus novissimè ædificavit. IV. Libri omnes impressi, & qui inconsulta S. Congreg. imprimentur tractantes controversiam de verâ & non interrupta successione filiorum S. Francisci, & de verâ forma capitii ejusdem. V. Elenchus librorum omnium prohibitorum ab anno 1636. usq; ad annum 1655. ordine alphab. per Fr. Thomam de Augustinis digestus, &c. VI. Petri Picherelli opusc. Theolog. Dissert. de Missa, item de Imaginibus habita ad fanum Germani coram Regina matre. Appendix ad Dissert. de Missa & Maldonati prælect. in Psal. 110. Denique VII. Vera & dilucida explicatio præsentis status totius Seraphicæ FF. Minorum Religionis à S. & magno Francisco Patriarcha inclito, numine divino inspirante fundatæ, per F. Bonitum Combasson. Hinc autem colligere licet, quam multa ac infinita fere è cæteris LXXV. Indicis Lib. Pro-

Prohib. noviſſimi decretis, adverſus falsò jactatam Rom. Eccleſiæ unitatem exempla atque documenta exhiberi poſſent. Cum itaq; Imperio Papali Unitatis nota neutiquam competat, ſatis apparet, neq; cornu parvi appellationem ei eſſe tribuendam. Siq; tandem talis Congregationi Romanæ qualis Muhammedanæ aut Judaicæ eſſet concedenda Unitas, quid aliud obſecro indè colligere liceret, quam eandem planè Romani Papatûs in Occidente & Turcici in Oriente fuiſſe fortunam? ſicuti quoq; eadem natalia utriusq; fuêre tempora, nec non eadem in impugnanda Religione Evangelica indoles; unde non mirum ſi uno eodemq; unitatis (non ſanctæ & ſpiritualis, ſed Mundanæ atque carnalis) privilegio gaudeant.

CHRISTOPH. *Probo idem III. ex eo, quod Cornu iſtud vocatur* parvum. *Hoc ajunt apprimè ad Muhammedem quadrare, vilem initio hominem. At verò non Muhammed aut quivis alius homo in individuo, ſed tota Regna cornua dicuntur, alioquin Muhammede mortuo deſiiſſet illud corniculum, aut in tot nova cornua fœcundum fuiſſet, quot Caliphæ his atq; illis Saracenorum Regnis poſt ipſum præfuerunt.* Diatr. p. 23. & 24.

THEOPH. Neque verò Muhammedi solum (non Regiis sed imæ sortis parentibus nato,) cornu *Parvi* appellatio tribuenda est, verum ad ipsius Regni Turcici primordia optimè quadrat, quod non ratione potentiæ (quam successivè acquisivit satis formidabilem) sed *Originis*, quam nactum est planè contemptam & obscuram, PARVUM ab Angelo nominatur; Etenim commemorant Rerum Turcicarum Scriptores, Muhammedem initio quendam *latrunculorum exercitum*, qui se rapinis ex more Scenitarum & Arabum alebant duxisse, adversus Heraclium Imp. bellum gessisse, & expugnata Mecha totius Arabiæ principatum in suam potestatem redegisse, indeque Caput Syriæ Damascum, cum tota Syria sibi subjecisse: Et cum Romani Principes malum hoc, *cujus tam exilia essent principia*, contemnerent atque negligerent, indies illos magis magisque dominii sui terminos in Asia & Africa produxisse, sicuti hanc rem prolixè narrant authores antea indicati, quibus jungendus F. Richardus in ref. Alcor. apud Luth. Tom. II. Witteberg. Germ. fol. 469. & 567. Satis opinor inde apparet, non Muhammedis solum, verum ipsius Regni

Regni Turcici originem obſcuram omninò & contemptam fuiſſe. Gentem Saracenicam (quod nomen non à Sara Abrahami uxore, nec à loco Saraka, ſed à latrociniis, queis dedita ſemper fuit, proveniſſe argumento eſt, quod ipſi Saracenos ſe nunquam appellaverint, ſed à vicinis populis per contemptum ita vocati fuerint) jam olim præpotentem extitiſſe facilè Tibi Vir Doctiſſime largior; attamen in ſummo ſemper apud bonos contemptu vixiſſe colligere eſt ex verbis Proph. Amos, c. IX. 7. *Nonne ut Filii Chuſæorum vos mihi eſtis filii Iſrael dicit Dominus*; i.e. viliſſimi & abjectiſſimi. Quod itaque initio ſua parvitate in tanto contemptu erat corniculum Turcicum, tantis poſtea virium incrementis auctum, tanta Dominationis amplitudine dilatatum, Sociis cornibus prævaluit, elatumq; ſtupendo fortunæ ſucceſſu & potentiæ fiducia, ſupra compares Reges aſſurexit. Apprimè inſuper notari velim, quod non tota Saracenorum Gens, ſed pars, tantum ejus exigua ſeſe Muhammedi initio adjunxerit, eumque ſibi Ducem adſciverit reliqua verò aliquandiu cruenta cum eo prælia commiſerit, quæ ex ſcriptis Arabum hoc ordine

recenſet Cl. Hotting. Hiſtor. Orient. Lib. II. cap. 5. p. 441. ſeq. Anno primo Hegiræ, patruum Hamza candido inſtructum vexillo, cum XXX. Muslimicis emiſit, quorum tamen conatus irritus fuit. Anno ſecundo commiſſum fuit prælium celebre apud Arabes in Beder, in quo occiſi Koreiſchitarum duces aliquot fortiſſimi, & victoria ſtetit à parte Musliminorum. Anno quinto geſtum eſt bellum Foſſæ, ubi decem millia Koreiſchitarum Judæorum, aliorumque Muhammedanis ſe oppoſuerunt: vicit tamen Muhammed cum exigua ſuorum jactura. Anno Sexto accidit clades Hadibiatica: eſt locus is propè Meccam, ubi inter Muhammedem & Koreiſchitas armiſtitium decennale fuit inſtitutum. Excepit hoc anno ſeptimo fugæ prælium Chaibarenſe, ubi iterum victor exiſtens, caſtella aliquot magno cum vitæ diſcrimine expugnavit, victis pepercit, ita tamen ut magna annuatim penderent tributa. Anno demum octavo, cum Koreiſchitæ fœdifragio ſuo Muhammedi expugnandæ Meccæ occaſionem præbuiſſent, exercitu decem millium Metropolin illam ſine cæde & pugna ingreditur, ſecuritate præſtita Meccenſibus, exceptis paucis, quos mori maluit, quam

quam superstites novum Regnum turbare. Nec minus inter ipsos Arabes contra Muhammedem caput extulerunt plurimi, inter quos Museilema quidam, inter cujus asseclas & Muhammedistas, Elmacino teste, magnum etiam commissum est prælium, illis vincentibus primo, mox tamen ut ἀλλοτρόπως Mars esse solet, Ikirman, fil. Abugiahli, nomine Abubecri, post internecionem mille & ducentorum militum suorum, prælium instaurat, Museilemam & decem Militum ejus millia occidit, reliquos ad Islamismum cogit. conf. Elmac. Hist. Sarac. p. 10. 11. Quidam etiam Asvadus nomine, æmulatione accensus, in Arabia felici se Muhammedi opponebat, Prophetamq; se esse ferebat, cui Taliha accessit & mulier, quæ Museilemæ nupsit, & continuo adversus Muham. odio flagravit. Cumitaque non tota Saracenorum Gens, sed quædam solùm ejus portio initio sese Muhammedi adjunxerit, reliqua verò omnis tanto impetu se ei opposuerit, satis apparet, ipsa quoq; Imperii Turcici initia cũ cornu PARVO comparari posse. Si verò (Te ipso arbitro,) Muhammed *aut quivis alius homo* cornu parvum dici nequit, quomodo

igitur ad Rom. Pontificem visio ista Proph. optimè quadrabit?

CHRISTOPH. *Quartò non tam pro Muhammede quam Romano Pontifice militat illa descriptio Corniculi, quando ei tribuitur* Os loquens magna & oculi. *Dato enim, quod ad Muhammedem non incommode applicari possit, quod hîc de ore magniloquo dicitur: quoniam ille se summum postremumq; omnium Dei prophetarum jactitavit, adeoq; de se satis magnificè gloriatus est. Quid tamen facies de eo tempore, quo desiit Muhammedes in vivis esse, non ultra decimum annum Hegiræ superstes, num dicemus corniculum tum desiisse magna loqui, aut suo ore postea destitutum fuisse, quandoquidem nullus post Muhammedem, sive Saracenorum Calipha, sive Mamluchorum Persarumq; Sultanus, sive Turcorum Imperator similia aut paria his de se jactavit.* Diatr. pag. 26.

THEOPH. Pro Muhammede (licèt ei duntaxat cornu parvi appellatio neutiquam sit tribuenda) pariter ac R. Pontifice militat hæc Corniculi descriptio, quando ei *Os loquens magna* tribuitur; si per *Magna* illa magnifica solum elogia, nec justo titulo acquisita

sita jura atque privilegia intelligantur: Magis tamen pro Muhammede, si (plerisque asserentibus) *magna* ista potius de horrendis blasphemiis sint accipienda, quas in Deum glorioſum ejusque filium noſtrum Salvatorem maledictus evomit Alcoranus. Atque ut cæteras alto prætereamus silentio, annon magna in Deum injuria & putidum commentum eſt, quando (teſte Euthymio Zigabeno græcè & lat. à Frid. Sylburg. inter Sarac. seu Muhammedica alia quondam edito, p. m. 16.) ὁλόσφυρον λέγει τὸν θεὸν, ἤτοι σφαιρικὸν· τοῦτο δὲ τὸ σχῆμα σώματός ἐστι σῶμα ἐμφαίνει· ὥσπερ δὴ καὶ τὸ πυκνὸν καὶ πεπιλημένον· σφαῖρα δὲ ὑλικὴ κατ' αὐτὸν ὁ θεὸς ὤν, ὅτε ἀκούσεται, ὅτε ὄψεται· καὶ καταπεφυκὼς ὡς ἔτυχεν, ἐνεχθήσεται, καὶ ἀτάκτως κατακυλισθήσεται. h. e. *Deum* ὁλόσφυρον *dicit, ſphæricum videlicet ac rotundum. Atqui hæc figura corporis eſt & corpus declarat; quemadmodum quod denſum atq; conſtipatum eſt. Cum igitur ut ipſi placet, Deus materiata quædam ſit ſphæra, neq; audiet, neq; videbit: & in præceps temerè feretur, inconditoq; motu volutabitur.* Cujus farinæ etiam illud, quando impudenter (eod. Euthymio pag. 12. ſcribente) dicit, τὸν θεὸν ἀγνοεῖν εἰ ὁ χριστὸς ἐδί-

δαξε τὰς ἀνθρώπους ὅτι θεὸς ἐστι καὶ αὐτὸς, καὶ διὰ τοῦτο ἐπερωτᾶν αὐτὸν, καὶ δεηθαμένου δέξασθαι τὴν ἀπολογίαν αὐτοῦ, ποίας οὐκ ἂν εἴη καταγνώσεως ἄξιον; *Deum ignorare num Christus homines docuerit quod sit* DEUS *etiam ipse, & propterea ipsum interrogare: & ipso hoc negante, Deum veluti apologiam ipsius & defensionem probasse: hoc verò annon quâvis damnatione dignum est.* Mitto alia Impostoris Turcici nugamenta, ut quod in die Judicii Jesum ante Deum adstiturum esse fingit, negaturumque, quod se Dei filium esse dixerit: ac Christianos, ut qui tale Christo nomen imponere ausi fuerint, eumque Deum Dei filium & verbum incarnatum communi dogmate pronunciarint, gehennæ traditum iri; quod item blasphemo ore pronunciat, Deo filium tribuere tantam blasphemiam esse, ut mirum non sit montes & valles corruere, rerumque naturam everti. conf. Sylburgii Sarac. & Muhammed. p. 60. & Gesn. l. d. §. 157. Quis itaque Christianorum corniculo Turcico *Os magniloquum* h. e. blasphemum, impudens, tribuendum esse facile negaret? Neq; enim *magna* illa tecum Vir Doctissime de magnificis tantum Thrasonicisq; elogiis exaudire possum, quod Muhammed se

se summum postremumq; omnium Dei Prophetarum jactitaverit, adeoque *de se* satis magnificè gloriatus fuerit; Unde enim obsecro constat, quod per Magna illa, ea tantum sint intelligenda quæ DE SE ore impudenti Muhammed quondam jactitavit? Neque enim post ejus obitum ore suo destitutum fuit Cornu illud Turcicum, nec magna loqui etiamnum in nefando *Alcorano* desiit. Et quamvis nullus post Muhammedem sive Saracenorum Calipha sive Mamluchorum Persarumq; Sultanus, sive Turcorum Imperator similia aut paria his de se pronunciaverit, omnes tamen uno ore paria imò majora de Muhammede in hunc usq; diem prædicarunt quam de se quondam ipse jactitavit. Mirum profectò est, quantis Impostorem comuniter ornent encomiis: vocant eum passim Prophetam κατ' ἐξοχὴν, & Prophetarũ ultimum. Et in Alcorano, azoar. 2. ipse Deus introducitur homines ita alloqui: *Devobismetipsis Prophetam excitavi, qui vobis dicenda gerendaq;, prius vestræ non subjecta peritiæ, monstret.* Idem Liber Muhammedem nuncupat *Nuncium gaudii* seu Evangelistam, azoar. 58. *Nuntium, lucem, librumque cœlitus missum, qui timentibus DEUM vitam sal-*

ſalvam & rectam oſtendit, & à tenebris ejicit, item *Doctorem Gentium*, az. 78. *Doctorem qui gerenda præcipiat, illicitaq; prohibeat*, az. 12. *cujus nomen atq; mentio reperiatur in Teſtamento & Evangelio*, h.e. in V. & N. Inſtrumento. az. 17. *imò etiam ab æterno in dextra divini throni parte ſcriptum inveniatur.* Quod in ſua ad Meletium Epiſtola repetit Sampſates Iſphachanes Perſa. Confer amplius Librum Doctrinæ Muhammedis, libellum item cui titulus: Chronica mendoſa & ridicula Saracenorum, nec non Librum de generatione ſive genealogia Muhammedis: in quo, præterquam quod Muhammed appellatur *ſigillum Prophetarum, Dominus nunciorum, melior prioribus, amicus Dei omnipotentis*, etiam hæc ad ipſum habentur verba: *Gaude & exulta Muhammed: Tibi enim conſervatum eſt quicquid cæteris negatum fuit Prophetis: quos omnis ſapientia & cordis amplitudine ſuperas. Cum Tibi præcæteris data ſit clavis victoriæ, eris ſine metu & horrore. Nec reſtabit in Mundo, qui nomen tuum non prædicet.* Quid, quod ἀναμαρτησία quoque ſeu Infallibilitas immediatæ revelationi divinæ innixa, Muhammedi in Alcorano tribuatur?

buatur? azoar. LXIII. Tandem judex quoque controversiarum constituitur azoar. IX. quæ nimirum ita habet: *Cum verbum ambiguum ignoratumve vobis inciderit, ad Deum atq; Prophetam vos convertite; & hæc vobis melior expositio fiet.* Nec minus in libro cit. de Genealogia Muhammedis tradunt, *quod eâdem hora qua ipse natus inclinata sint idola & denigrata, quod q; Lucifer ab Angelis arreptus mari q; immersus: unde vix post 40. dies emersus in montem Kobelz aufugerit, convocatis q; illuc cum terribili fragore ac horrendo mugitu omnibus suis Angelis indicaverit, natum esse in ipsorum perniciem ac ruinam Muhammedem; quod item asina se ei inclinaverit, eidem q; voce articulata humano in ore prolata egregium testimonium perhibuerit.* Denique Islamitarum docti (perhibente Gregor. Abulfarajo in Histor. Dynastiar. â Cl. Pocokio ed. pag. 104.) *alia etiam de eo enarrant miracula, qualia Lunæ fissura, Arborum ei obviam euntium processus, quod à Lapidibus salutaretur, & quod aqua inter ipsius digitos scaturiret, quod turbam multam exiguo cibo saturaret, quod ipsi adgemisceret trabs; quod apud eum quereretur Camelus: quod ei*

testi-

teſtimonium perhibuerit ovis aſſa, cujus armus ipſi dixerit, cave me comedas, veneno ſiquidem infectus ſum, &c. Annon verò Tibi hæc, ejusque farinæ alia plurima Magna ſatis videntur, quæ de Muhammede (poſtquam etiam in vivis eſſe deſiit) ab aſſeclis ejus & ſucceſſoribus in hodiernum usque diem jactitantur? Num Corniculum poſtea quam obiit diem ſuum Muhammed, ore fuit deſtitutum? Neutiquam. Imò nec oculis, quod ſupra ſatis demonſtratum. Obiter adhuc notari velim, quod ſi per magna illa Oris loquentis effata, ea duntaxat eſſent intelligenda, quæ *DE SE* Cornu parvum prædicat, nec Romano Pontifici adeò ejus competeret appellatio, quam illis, qui ore & calamo impudenti talia de ipſo ſæpiſſimè gloriantur, qualia *de ſe* fortè nunquam cogitare auſus fuiſſet, id quod variis exemplis oſtendere vellem, ſi minus forent perſpecta, aliaque magis neceſſaria non reſtarent expedienda.

CHRISTOPH. *Quintò non ad Saracenos, minimè verò omnium ad Turcas quadrabit illa Corniculi deſcriptio, quâ dicitur (verſ. 21.)* pugnare adverſus Sanctos & vincere. *Id quod in Apoc. c. XI. v. 7. de beſtia*

quæ

quæ adſcendit ex abyſſo ſimiliter prædicatur. Sancti in S. Literis vocantur non promiſcuè illi, qui Chriſti nomen ſeu verè ſeu falſo jactitant, ſed qui quem profitentur ore Chriſtum, vita quoq; & tolerantia crucis imitantur. Contra ejusmodi Sanctos, nec Turcæ pugnant, nec pugnarunt Saraceni. Diatr. pag. 29. & ſeqq.

THEOPH. Neutiquam Bone Vir. *Sancti* appellatio arctis adeò limitibus eſt includenda, cum in Sacris literis quandoque illis omnibus tribuatur qui in fœdere DEI ſunt, ſive vera, i. e. interiori ſanctitate præditi ſint, ſive eâ careant. Sic I. Cor. VII. verſ. 14. liberi ex altero parente fideli nati dicuntur *Sancti*, id eſt in fœdere Dei comprehenſi & ſegregati à profanis, ut non pro talibus ſed Chriſtianis habeantur. Sic quando Rom. XI. 16. dicitur, *ſi radix Sancta eſt etiam rami ſancti ſunt*, ſenſus eſt: ſi Abraham Iſaac Jacob fœderati Dei fuerunt, non dubium eſt quin eorum poſteri in eodem fœdere etiam ſint comprehenſi. Similiter in Veteri etiam Teſtamento propterea Populus Iſraeliticus ſæpiſſimè *Sanctus* dicitur, licet verâ

ſeu

seu interiori Sanctitate rarò præditus fuerit, conf. Deut. VII. 6. c. XIV. 20. 21. cap. XXVI. 19. Esa. XXVIII. 9. c. LXIV. 18. Dan. VIII. 24. Et Hierosolyma turpissimis licet flagitiis inquinata *Sancta* tamen dicitur Esa. LII. 1. Neh. XI. 18. Dan. IX. 24. Matth. XXVII. 52. *Dum enim* (ita benè monet Dn. Dn. Calovius in ἐξετ. Theol. de LXX. hebd. §. 83.) *adhuc Christus in illa docebat, Sanctus ille Sanctorum, dum Apostoli verbi præconio publico eam sanctificare contendebant, elogium illud eidem non erat omninò denegandum*». Quid prohibet igitur quo minus câdem ratione Christiani (*populus ille Sanctitatis* עם הקדש, *redempti Domini* juxta Esa. LXII. 12.) in *Novo* Dei fœdere comprehensi & à cornu parvo impugnati victique, Sancti dici appellarivé possint? Equidem si Populus Israeliticus justo Dei judicio ob gravissima delicta punitus Sanctus dici, imò Urbs Hierosolymitana ipso passionis Christi tempore *Sancta* nuncupari potuit, Matth. XXVII. 52. neutiquam sanè idem nomen populo Christiano per Saracenos quondam gravissime punito erit derogandum». Et quis obsecro cornu illud Saraceno-Turcicum bella hactenus cum

cum Sanctis gessisse, iisque prævaluisse dubitaret ? Ut primum enim Muhammedes ex Arabiæ progressus deserto abominabile caput in lucem extulit, concepto in Sanctos odio Christianum nomen armis castrisq; oppugnavit, Religionis Sanctæ devastavit Ecclesias, atque Cœlestem Evangelicæ veritatis lucem impietatis suæ tenebris oppressit. Quas ille à primo sui ortus initio strages Sanctorum fecit ! Quantam Christiano populo cladem, bonisque omnibus injuriam intulit! Quam florentes Ecclesias, quot in locis, quanta immanitate afflixit atque dissipavit ! Luget hoc Asia ; luget Græcia ; luget Africa, luget Oriens penè universus ; qui Apostolorum ore scriptisque institutus, ac sacrosanctæ Religionis scientia imbutus, nunc prôh dolor attritus, Turcicæ immanitatis jugum cervicibus suis tolerat. Lamentarentur procul dubio Sanctissimi Jesu Discipuli, quod si cognoscerent per Judæam, Syriam & Græciam abolitis doctrinæ suæ vestigiis, Saracenicæ doctrinæ deliria nugasque doceri, Christianum nomen aut ferro extirpatum, aut durissimâ pressum servitute, omnibus humanæ vitæ miseriis per summam crudelitatem vexari.

Neque ad Saracenos solum, verum Turcas etiam optimè quadrat illa Corniculi descriptio, *quâ pugnare adversus Sanctos dicitur & vincere*; Illi namq; ut in Imperii & Religionis Saracenicæ communionem, ita sævitiæ quoq; hæreditatem devenerunt: per Caspias enim portas primum egressi, & in Calcidem ac Armeniam & inde in Bithyniam, Lycaoniam, Pisydiam ad Taurum usque montem, & Jonii maris littora effusi; sensim prodigioso virium accessu accreverunt, donec pestilens ille Ottomannicæ stirpis surculus, (Orbis flagellum, Christianiq; nominis pernicies) assurgeret, qui plusquam vatiniano in *Sanctos* odio inflammatus nullum sævitiæ genus in vexanda opprimendaq; Ecclesia prætermisit, nullam in injuriis contumeliam, in rapinis avaritiam, in cædibus immanitatem & truculentiam neglexit.

CHRISTOPH. *At verò Romanus Pontifex ipsi orthodoxiæ bellum indicit, ipsissimos Sanctos, qui dominationi ejus, qui Idolomaniæ, qui superstitionum figmentis, qui scelerat æ sacerdotum vitæ, qui abusibus cæremoniarum, qui falsis dogmatibus contradixerunt, crudeliss-*

deliſsimè perſecutus eſt, infinitaq; millia ſustulit. Diatr. p. 31.

THEOPH. Veriſsimum ſanè eſt Romanum quoq; Pontificem adverſus Sanctos pugnaſſe, eorum caſtra conculcaſſe, ferro, igne, laqueo innocentiſsimos homines abſumpſiſſe; nullumque acerbiſsimi ſupplicii cruciatum intermiſiſſe, quo non pios Chriſti ſervos & Evangelicæ Religionis aſſertores enecaret. *Nec ſatis mirari poſſum* (dico cum Abbato demonſtr. Antichr. cap. VII. §. 3. p. 147.) *Pontificiorum impudentiam, qui quum ipſi videant, annales ſuos noſtrorum ſanguine conſperſos, requirunt tamen à nobis hujus rei demonſtrationem.* Ingenuè fatetur Fr. Campanella, vel quicunque tandem author Diſc. de Belgio ſub Hiſpani poteſtatem redigendo; *eam partem Germaniæ inferioris, quam jam tenet Catholicus Rex, vix tantum aquæ habere, quantum in ea occupanda ſanguinis profuſum ſit, neq; tantum lapidum quantum auri impenſum.* De Lanienis Galliæ videndus Chamier Tom. II. Lib. XVI. c. 15. Neq; Polonia ejusmodi clades, nec Anglia ignorat; Hungariam ferè totam extortam Turcis hoc ſeculo reformatio ſubitanea fermè penitus

deformavit. Bohemiæ fata rudera Beraunensis Templi ingemiscunt. Licet igitur certum sit R. Pontificem etiam adversus Sanctos pugnasse, propterea tamen ei Cornu parvi appellatio non magis quam aliis Christiani nominis persecutoribus, ipsique adeò Turcarum Imp. est tribuenda. Imò verò abunde constat, hunc pariter ac Rom. Pontificem *ipsi orthodoxiæ bellum hactenus indixisse*; cum de nulla re magis quam Christianæ religionis abolitione Turcæ videantur esse solliciti, & ipsius Muhammedis edictum apud Elmacinum antea jam ita sonaverit; *Ne concurrant in Arabia duæ Religiones!* Eapropter Turcæ Impietatis suæ diliria ubique doceri, Christum Salvatorem in nullo pretio esse, fidem salutarem negari, & Sacramentorum usum planè abrogari cupiunt. Ut namque semel in lucem hanc funestum caput protrusit ille impostor, tanto statim furore in Christianam Religionem exarsit, ut immanem sævitiam in Ecclesiam adhibuerit, paradysum eis pollicitus, qui strenuè adversus Christianum nomen militarent. Ipsius verò successores Amyræ, Caliphæ, & Sultani, quantas à Sexcentesimo supra trigesimum in millesimum nati

Serva-

Servatoris annum & ulterius Christiani populi cædes fecerunt! Quantum in Persia primò *Zeybilus*, inde in Syria, Damasco, Palæstina, Antiochia, Ægypto, *Homar*; in Cilicia, Phrygia, Africa, Hispania, Thracia *Muhavias*; in Armenia, Tarento, Gallatia, *Habdimelech*, in Asia, Italia, Dalmatia, *Zulziminus* & alii sanguinis effuderunt! quantas innocentissimorum martyrum strages accumularunt! quam barbara crudelitate in fortunas in corpora, in infantes, in feminas, in sacra & profana sævierunt! quanto deniqúe furore ipsi orthodoxiæ huc usque bellum indixerunt! Sed pergamus ad alia.

CHRISTOPH. *Sextò, si parvum Cornu interpreteris de Muhammedanis, non potest iniri numerus X. cornuum, triumq; quæ in conspectu, seu coram isto, evulsa sunt. Clara autem sunt omnia, si de Pontificis Regno interpreteris. Et primum quidem vulgaris illa divisio Romani Imperii, quæ apud Interpretes reperitur, in decem istas provincias, Italiam, Galliam, Britanniam, Hispaniam, Germaniam, Græciam, Asiam, Syriam, Ægyptum, & Africam, quam non accurata sit, apparet inde, quod nullum reperiri tempus potest, quo Romanum*

Imp. ita dividi consuevit. Diatr. pag. 32. 33. & seqq.

THEOPH. Si cum B. Augustino (Lib. XX. de Civ. Dei, cap. 23.) numerum cornuum definitum pro indefinito positum fuisse contenderem, aut cum Pareo illi non præcisè inhærendum existimarem, parum sollicitus essem; quâ ratione numerus ille denarius iniri possit? Sed quoniam accurata hujus bestiæ descriptio sententiæ huic adversari videatur, haud præfractè negabo, per Decem Cornua non Reges quidem sed Regna totidem, ad constitutionem Imperii Romani concurrentia esse intelligenda, cum hoc in loco & ubicunque de futuris Monarchiis sermo est, non tam de personis quam rebus aut Regnis agatur. Quidni verò sententia ista de Corniculo Arabico-Turcico stante, decem cornuum numerus iniri posset? Neque enim vulgaris illa B. Lutheri, Gesneri, Osiandri, Helvici & aliorum interpretum divisio inepta adeò aut incongrua apparet, ut rejicienda & profliganda sit penitus, cum vix dari aut substitui possit alia, quæ non suis (& majoribus fortè) difficultatibus laboret. Nimis profectò aliena apparet ista Imperii Veteris divisio, decem-

decemque cornuum explicatio, quam anno 1636. author quidam anoymus des abgeworffnen Brieffes/ dedit h.m. Cornua sunt: Suecia, Norvvegia, Dania, Scotia, Anglia, Gallia, Germania, Bohemia, Polonia, & Hungaria; Quid enim Auster, quid Oriens vitii commiserunt, ut indigni judicentur corpore Imperii Romani? Nec agnosco hîc H. Grotii (Annotat. in Dan. p. m. 436.) Lagidas & Seleucidas Macedonici sanguinis Reges, quorum cum ad minimum fuerint quatuordecim, quà ratione decem cornuum armaturam præstabunt? Et cum Decem illa cornua simul extiterint, unoque tempore, constituto quasi collegio honoratam in Bestiæ capite sedem tenuerint, quomodo per illa fundi Alexandræi Reges designabuntur? utpote qui ordine sibi mutuo successerunt, aliis in aliorum locum hæreditatis quodam jure repositis. Quamvis verò non æque vituperanda sit D. Philippi Nicolai sententia, qui Lib. I. de R. C. cap. 8. sub Asiæ nomine Ægypti & Syriæ comprehendens dominia, in eorum locum Hungariam & Poloniam

ſubſtituit, (quam Tibi non adeò diſplicuiſſe inde colligo, quod Sardiniam & Pannoniam cum aliis provinciis neutiquam tam vili loco habendas exiſtimaveris;) attamen B. Patris noſtri Lutheri & reliquorum interpretum orthodoxorum veſtigiis potius inſiſtere, atq; Hungariam Poloniamque, rarò à Romanis tentatam, ex toto occupatam nunquam, ab hâc Gentium ſerie removere vellem, præſertim cum priſcos legenti hiſtoricos innoteſcat, tempore Romuleæ Gentis Germaniam usq; ad Boriſthenem excurriſſe. Videatur antiquæ Germaniæ deſcriptio ex Strabone, Mela, Plinio & Solino apud P. Bertium Lib. III. de Rebus Germ. cap. 18. & cum primis Cap. 24. pag. 181. ubi præeunte gravi quodam authore aſſerit, Sarmatiam Europæam (quæ latiſſima aliquando Walachiæ, Moldaviæ, Tartariæ, Przecopenſis, Poloniæ & conterminæ Moſcoviæ ſpatia complexa fuit) à Gothis, Vandalis, Alanis, priſcis Germaniæ incolis, habitatam fuiſſe.

CHRISTOPH. *Sed demus licet, ita ut ſupra dictum, dividi Romanum Imperium potuiſſe: quid tamen hoc ad rem. Non enim Propheta Romanum Imperium in totidem provincias*

vincias sub uno capite unitas; sed in decem cornua, quorum quodlibet peculiare Regnum est, dispescit. Diatr. p. 33.

THEOPH. Rectissimè, non minus tamen Regna ista, decem *Unius Capitis* cornua dicuntur, eò quod supremam seu Imperatoriam aliquam bestiæ quartæ potestatem sint agnitura. Idem sanè videtur in decem illis Regnis (in quæ Romanum Imp. divisum diximus) significari, quod in statua Nabuchodonosori per quietem oblata *decem digitis* exprimebatur, qui ex pedum plantario pullulantes, totam Imperii Romani molem exhibuerunt. Per plurimos sane annos vis, firmitasque Romana stetit in illo Decem cornuum robore, quo Orbem Terrarum subegit, & in suam traxit potestatem.

CHRISTOPH. *Quod si verò nunc Tibi dicendum foret, quæ illa tria sint cornua coram Turcis evulsa, plurimæ iterum difficultates se offerrent, &c.* Diatr. p. 37.

THEOPH. Non adeo magnæ V. D. cum satis constet quænam Regna sive cornua in Turcarum potestatem redacta fuerint, videlicet Ægyptus, Asia & Græcia, secundum Lutherum ipsum Tom. II. Witteb. p. 541.

Oſiandr. in not. Geſn. l. a. §. 144. Bald. Tom. II. Diſput. Witteberg. Gerhardum Tom. IX. LL. p. 214. Pappum l. alleg. pag. 227. Gravver. Tom. I. Diſp. Anti-Jeſ. diſp. 9. pag. 726. Quamvis enim (ut antea dictum) Sultani Imperium Syria etiam audiat, cum Ægypto tamen uni Tomombejo adempta eſt à Selymo, & licet Parthiam etiam Armeniam & Meſopotamiam Turcæ occupaverint, eas tamen non nobis ſed Perſis cornu parvum extorſit, ſicuti Aden, Ormuzium, Arabiæ dominia. Sed ais:

CHRISTOPH. *Duo & non plura, intra Romanos limites Regna ſunt à Turcis ſubverſa, Conſtantinopolitanum videlicet & Mamluchorum, Bulgaros enim Græci, antequam ipſi perierunt, domaverant.* Diatr. p. 39.

THEOPH. Reſp. neutiquam Turcis ſolùm cornu parvi appellationē eſſe tribuendam, ſed ad totum Imperium Muhamedico-Turcicum optime eam quadrare; Ab eo etenim tria illa Romani Capitis cornua evulſa eſſe, hiſtoriæ Saracenicæ monumenta abunde teſtantur. Poſtquam enim Omarus Muhammedis ſucceſſor Boſram totius Arabiæ caput expugnaſſet, & Gabatam usque cuncta ſub-

subegisset, totam Phœniciam occupavit, quin & brevi post Ægyptum (quam ab illorum vi securam hactenus Cyrus Alexandriæ Episcopus, pensis in singulos annos ducentis aureorum millibus præstiterat) Muhammedani suæ adjecerunt ditioni; & mox Hierosolymam petentes, valida duorum annorum obsidione adflictam urbem tandem deditione ceperunt, quâ occupata facilè totam Asiam suo imperio subjecerunt; illa verò subacta, longo post tempore occasionem arripientes magnis copiis in Europam trajiciendi, de Græcia affligenda cogitarunt, scilicet, quod Sultan Murates, edoctus à militibus de Græciæ statu, quod Regio esset peramœna & fertilis, ipsiusque Principes adversus Regem suum rebelles, turbulentis agitarentur consiliis: ipse sub prætextu vindicandi seditiosos cives & Principes, cum instructo exercitu in Græciam circa A. Sal. clɔ CCCLXIII. trajecit, & mox Callipoli in Chersoneso, & aliquot Hellesponti oppidis expugnatis, Philippolim, & quæ supra Hebrum est Adrianopolim deditione occupavit; Ibi cum novam arcem septimus Turcorum Imp. Muhammed Chan II. extruxisset, arcem Romani quondam Imperii

Con-

Constantinopolin magno ausu obsidione cinxit, quâ etiam quadragesimo quarto obsidionis die anno clɔ CCCCLIII. subjugata, Imperii pariter ac blasphemiæ Muhammedicæ sedem ibi fixit. Satis opinor inde appareret, quænam tria illa cornua sint, videl. Ægyptus, Asia, Græcia, & quomodo coram corniculo isto Muhammedico sint evulsa. Quod si verò præterea aliæ objiciantur difficultates, recurrere poterimus (monente Magnif. Dn. D. Geiero præl. in Dan. VII. 24. p. 574.) ad observationem antea notatam de numero certo pro incerto, qua etiam ratione Calvinus v. 7. exposuit de pluribus provinciis Imperio Romano subjectis. Imò sicut post Alexandri M. mortem nõ præcisè adeò quatuor solummodo portiones (tanquam quatuor Bestiæ Cornua) remanserunt, ut nulla prorsus exciperetur provincia; verum præcipuorum solummodo Regnorum habita tum fuit ratio; ita & hic dici poterit, Tertiam Romani Imperii partem per cornu parvulum detractam esse, ita ut duæ tertiæ præter propter remanerent. conf. laud. D. Geierum loco alleg. Nunc apprimè scire velim, qua ratione hic typus ad Romanum Pontificem applicari possit?

CHRI-

CHRISTOPH. *De Romano itaque Pontifice quomodo veriſſimum ſit quod coram illo tria cornua de prioribus, in quæ antiquum quod Romæ fuit, imperium diviſum eſt, ſint evulſa, nunc declarabo. Decem Regna intra fines Romanos ſtatim poſt Saracenicam invaſionem, numerata eſſe prædiximus, id neq; ante neq; inde ullo tempore accidit, cum pauciora pridem, poſt ſemper plura eſſent. Nam & hodie in ſolo Romano quindecim numeramus, quæ nullo communi vinculo continentur, nec ſuperiorem alium agnoſcunt, non numeratis Rebuspublicis libertatem ſuam per ſe tuentibus totidem, quot ſunt, ſed ſolis fœderibus quibus uniuntur in cenſum relatis. Fuerunt autem tunc Regna iſta; Græci, Gothi, Suevi, Anglo-Saxones, Franci, Burgundiones, Longobardi, Hunni, Bulgari, Saraceni. Quæ inquis inter hæc Regna evulſa ſunt coram Romano Pontifice? Ea inquam, quæ Romæ at q; in Italia ſedem figere conabantur, tanquam in ipſius Antichriſti ſede, id quod Propheta vocabulis hiſce* מִן קֳדָמוֹהִי *de coram ſe, ſeu è conſpectu ſuo clariſſimè exprimit. Cum q; Gothorum in Italia Regnum ante motimen Regni Pontificii mundani deſierit, Juſtiniano I. per Beliſarium*

ſarium & Narſetem urbem cum Italiæ ea parte rurſum vindicante, quæ Exarchatûs vocabulo poſtea venit; Ipſi Græci, Longobardi, Franci, iſti erunt quos Pontifex R. unum poſt alterum ſummovit, &c. Diatr. p. 40.

THEOPH. Ut tanto magis tria coram Romano Pontifice cornua evulſa fuiſſe perſuadeas, talem Doctiſſime Vir ſupponis Imperii Veteris diviſionem, quæ ſuis quoque non caret difficultatibus. Primò etenim firmior Tibi reddenda fuiſſet ratio, cur non ante, ſed poſt invaſionem Saracenicam demum, Regna iſta ſive cornua ſint numeranda? cum ipſe alibi (Diatr. p. 33.) dederis, Imperium Romanum ante ortum Muhammedem in decem iſtas provincias, Italiam, Galliam, Britanniam, Hiſpaniam, Germaniam, Aſiam, Syriam, Ægyptum & Africam dividi potuiſſe. Deinde mirari valde ſubiit, quod inter Beſtiæ Quartæ cornua ſeu Romani Imperii Regna etiam retuleris SARACENOS, quos tamen NULLO UNQUAM TEMPORE ad Romanum Imperium ſpectaſſe antea (Diatr. p. 20.) diſertè aſſeruiſti. Neq; inſuper cornuum appellationem *Bulgari* (quos non indigenas, ſed advenas eſſe è Scythia egreſſos alii oſtenderunt)

derunt) merentur, nec *Hunni*, qui ex interiori Scythia tribus ferè ante invasionem Saracenicam seculis, (cum Tu post eam demum Regna ista sive cornua numeraveris,) nimirum circa annum 364. Valente Romanis Imperante, ex interiori Scythia in Panoniam ingenti multitudine se recepêre, quemadmodum ex Tuberone Dalmata, Rerum ac originum earum gentium peritissimo accepit M. Zuerius Boxhornius, & ejus hâc de re verba recitat Histor. Univers. p. 309. *Memoriæ* (inquit) *apud nos proditum est Hunnos Valente Romanis imperante ab hyperboreis montibus Duce Attila & Belda ejus fratre digressos pervastata prius Thracia ac utraq; Mœsia, Macedonia, & toto prope Illyrico in PANNONIIS & his finitimis Transistranis Regionibus, pulsis inde Gothis, sedes posuisse &c.* Atqui Pannoniam cum Polonia rarò à Romanis tentatam, ex toto occupatam nunquam, ab hâc Gentium serie removendam esse supra declaravi. Siqúe tandem vel maximè Romanum Imperium ita dividi potuisset, dic mihi sodes, num Saracenorum, Bulgarorum, Hunnorumque pridem devastata Imperia, Christi ad decretorium judi-

judicii diem adventus excipiet? quo se illa internascentis corniculi vita dominatioque porrigit, tum primum cum Bestiæ Regalis Imperio finienda, (conf. Dan VII. 9.) *sublato enim eradicatoq; corniculo, finitur Bestiæ Imperium, & populus Sanctorum excelsorum Regnum accipiet, neq; tempore ullo, neq; loco circumscriptum.* vers. 27. Anne verò cum fatali Romani Pontificis (quem ex hoc corniculo intelligis) casu, Bestiæ dominantis Regnum desiit? An ab eo tempore nullo amplius bello vexatum, in securo pacis gremio huc usq; acquievit? Non puto. Aut igitur illud decem cornibus internascens corniculum, alium præter Romanum Pontificem designat; aut casus ejusdem nondum contigit, neque Antichristiana tyrannis jam est devicta; prius cum secundo Diatribæ Tuæ capite, posterius cum tertio pugnat apertissimè. Deniq; ad Cornuum coram Romano Pontifice (juxta sententiam Tuam) evulsorum peculiare examen pergo, in quo Summa rei. Quidam Lojolitæ cuidam quærenti: quæ nam sint illa Regna à Pontifice evulsa? respondit: *Abi Avigionem Galliæ, Tridentum Germaniæ, Romam Italiæ, satisq; informaberis, non opus est*

ns

ut Sorbona te hic erudiat, lapides id loquuntur, monumenta, arcus triumphales & inscriptiones portarum harum urbium: Sed quoniam non urbes, verum *Cornua*, h.e. Regna à Corniculo evulsa dicantur, responsio hæc locum neutiquam inveniet. *Alius* magnæ inter suos famæ & existimationis Vir, postquam Decem cornua ex ultima Bestia proditura, de decem distinctis familiis Imperatoriis, Carolinâ nimirum, Saxonica, Salica, Suevica, Hollandica, Anglica, Nassovica, Lucemburgica, Bavarica & Austriaca exposuisset; TRES, non quidem continuò primas, sed ex primis, Carolinam Salicam Suevicam coram Pontifice humiliatas & eradicatas fuisse contendit in *Brevi Repetit. illustr. quorundam locorum V. & N.T.* pag. 195. & 198. Quia verò per Bestiam quartam non Francorum & Germanorum solummodò Dominium in Dynastias Decem; sed ipsum Romanum Imperium in tot Regna divisum est intelligendum; neque tres tantum sed *novem omninò* familiæ impetrare desierint, sententia illa haud ita multos fautores sive assertores inveniet. Non magis autem tua Vir Doctissime de tribus istis à R.P. evulsis cornibus cogitatio ad

rem facere videtur, cum Sacri Textus authoritas ei prorsus adversetur, tantum abest ut pro stabilienda illa adhiberi possit. Certum namq; est phrasin hanc מִן מַרְאִיתוֹ idem notare quod *à facie ejus, ab ejus velut vultu terribili ac intolerabili*, ut Dn. D. Geierus Comm. in h.l. notanter scribit. Hebræi etenim cum Chaldæis per *faciem* illud circumscribunt, cujus dicitur esse facies, ut propterea idem sit à *facie gladii* quod à gladio; à facie ursi, à facie famis, quod à fame, vel urso. Quare dum tria cornua evulsa dicuntur à facie cornu exigui, non significatur ad aspectum illius excidisse cornua; sed ab illo vi & armis esse comminuta, cum igitur hac ratione tria cornua neutiquam à R. Pontifice, sed ab Imperatore Muhammedico sint evulsa, satis apparet, non illi, sed huic potius cornu parvi appellationem esse tribuendam. Taceo quod non tria solùm cornua, verum omnia prorsus Orbis Europæi Regna ad Pontificem pertinere tueantur Steuchus, Bellarminus, Baronius & alii, scilicet totam Hispaniam, Galliam, Arragoniam, Portugalliam, Hungariam, Germaniam, Bohemiam, Angliam, Scotiam, Daniam, Poloniam,

niam, Sueciam, Ruſſiam, Croatiam & Dalmatiam *ſervo ſervorum* vindicant. Id verò obſervationem meretur, quod tria à cornu parvo evulſa Regna diſertis verbis in textu Sacro *prima* ſeu *anteriora* Beſtiæ quartæ cornua nuncupentur, proinde valde veritati conſona apparet Philippi Melanchtonis ſententia, qui Comm. in h. l. p. m. 51. per tria evulſa priora vel ANTERIORA Cornua *Provincias Romanas in* ORIENTE *ſitas* intelligit, quod verò poſtea plures provinciæ à Muhammedanis ſint domitæ, cum textu neutiquam pugnare exiſtimat, ut qui h. l. Regni tantum initium deſcripſerit. Quæ cum minus Tibi arrideat explicatio, nunc paulò accuratius oſtendendum erit, quænam Regna ſive Cornua à Pontifice & quâ ratione ſint evulſa, ne ſuæ dominationi graves exiſterent?

CHRISTOPH. *Ipſi Græci, Longobardi, Franci, ſeu qui eodem jure poſt Francos Romam cum Italia Germani Cæſares tenuerunt, iſti erunt, quos Pontifex Romanus unum poſt alterum ſummovit, ne ſuæ dominationi quam moliri incipiebat graves eſſent. Græcos*

seu Exarchatum sustulit per Longobardos, quos aliquandiu, ut constat ex Paulo Diacono, sibi devinctissimos habuit, usq; adeò, ut Regum omnium primus Aripertus Romanæ Ecclesiæ provinciam integram, Alpes nimirum Cottias dono dederit, instrumento donationis aureis literis perscripto, quam sequentes Longobardorum Reges Ansprandus & Luitprandus ratam habuerunt. Cum verò iidem, maximè verò Aistulphus (is ipse qui Exarchatum captâ Ravennâ, penitus subvertit) Pontificibus in Italia formidabiles esse cœpissent, Romæ imminentes eam occupaturi; tum Pipinus paulò ante in Regem Galliæ ex audaci Zachariæ Pontificis pronunciato, dejecto Childerico, assumptus, adversus hos evocatur, qui Exarchatûs urbes Aistulpho ereptas omnes Pontifici donavit. Evocatur mox & Carolus Pipini filius adversus Desiderium: neq; id una vice, donec ille à Carolo aliquoties victus, deniq; captus & in Galliam abductus est, ultimus Longobardorum qui in Italia regnavit. Sed & Francos postquam Carolus patriciatus titulo primum Italiæ Imperium tenuisset, & mox quoq; Augusti & Imperatoris cognomen, invitus licet, admisisset, hanc q; cum Imperio dignitatem ad

poste-

posteros suos, & qui ex aliis Germaniæ proceribus successores ejus dignitatis fuêre, derivasset; iidem Romani Pontifices quibuscunq; tandem potuerunt modis Roma atq; Italia exclusserunt: Normannorum tandem usi auxilio, quos eâ gratiâ Apuliæ Siciliæq; dominatu potiri passi sunt, sic tamen ut beneficio Apostolicæ sedis id Regnum acceptum se referre fatcrentur, unde factum, ut sequentibus Neapolitanis Regibus deferrent Pontifices juramentum, quo jurare cogebantur se titulum ac dignitatem Romani Imperii etiam ultrò oblatam nunquam suscepturos, ne videl. tam vicinos inq; ipsa Italia habere Cæsares cogerentur. Diatr. p. 42.

THEOPH. Obsecro Te Doctissime Vir, an ex his verissimum esse existimes, *quod tria* coram Rom. Pontifice evulsa sint *cornua?* Nonne (Te ipso Diatr. pag. 33. asserente) cornu quodlibet PECULIARE REGNUM denotat? At verò non *tria*, sed *unicum* duntaxat Cornu sive Regnum coram Pontifice (uno post alterum Domino sublato) evulsum hactenus commemorasti, de duobus cæteris altum apud Te est silentium. Neq; enim propterea quod tria ista UNIUS Regni *Italici* dominia coram Pontifice sub-

lata sunt, verissimum est tria PECULIARIA REGNA & in Orbe Europæo longè lateq; exporrecta Imperia coram eo evulsa, h. e. armata vi subjugata, occupataque fuisse, quemadmodum de Corniculo Saraceno-Turcico antea dictum est, quod tria ab eo Quartæ Bestiæ cornua (scil. Græcia, Ægyptus & Asia) sint evulsa. Etiamsi Pontifex primùm Græcos per Longobardos, hos postea per Francos sustulisset, miris deniq; artibus & illos Româ atque Italia exclusisset; *Unum solummodo Cornu seu Regnum* coram eo evulsum videl. Italicum habebis. Quod si verò trinam illam Rerum Italicarum vicissitudinem paulò accuratius (indubia historiarum fide nixi) consideraverimus, magis apparebit, neq; Græcos, nec Longobardos & Francos istos esse, quos Pontifex unum post alterum summovit, ne suæ Dominationi, quam moliri incipiebat graves essent. Quod enim (I.) ad Græcos attinet, ex ipso quem Tu laudas, Paulo Diacono abunde constat, adversus eos à Pontifice Longobardos neutiquam, evocatos; sed potius Narsetem illum, qui Romam Italiamq; universam à Gothis liberaverat, à Romanis ejus divitiis invidentibus

apud

apud Justinum Imp. ejusque conjugem Sophiam accusatum fuisse magnæ erga ipsos oppressionis, eaq; de causa Imperatorem iratum, Narseti revocato successorem in Italiam Longinum misisse. Ferens id iniquo animo ut par erat Narses, Alboinum Longobardorũ Regem cum suis copiis è Pannonia in Italiam ad capessendas sedes uberiores, quam quas in Pannonia occupaverant, literis accersit & nuntiis. Obtemperans itaque Narsetis monitis Alboinus, Italiam cum lectissimo exercitu ingressus, primo quidem Venetias occupat, inde Insubriam petens, Mediolanum vi capit ac diripit, Papiam triennio obsessam in potestatem suam tandem redigit, quâ victoriâ lætus Alboinus Veronam se contulit, quam Regni totius sedem constituerat, eo autem Rosimundæ Uxoris (quam ex patris à se occisi cranio bibere compulit) impulsu obtruncato, Longobardi post multas clades etiam Exarchis ab Imperatoribus ad regendam Italiam missis, prævaluerunt, tandemque Ravennâ captâ Exarchatum penitus subverterunt. Satis opinor inde apparet ipsum Pontificem neutiquam Græcos seu Exarchatum sustulisse per Longobardos, cum hi non Papæ sed Narsetis odij & vindictæ

cupiditate flagrantis auſpiciis Italiam invaſerint, atque occupaverint. Neque verò poſtea Pontifex cum Longobardis adverſus Græcos conſpiravit, *ſed ſperavit potius* (verba Blondi Flavii adſcribo, è Dec. I. Lib. 8. de Inclin. Rom. p.m. 111.) *Gregorius M. rem Romanam Italicamq; poſſe reſtitui, & uſus tempore, ſuis prudentiæ ac religionis artibus præſidia ſibi nova quæſivit. Namq; per Theudelindam mulierem religioſiſſimam furorem Longobardorum aliquandiu compeſcuit. Hinc ut prudenti feminæ rem faceret gratam, illi inſcripſit Dialogorum Libros: quos cum perlegiſſet religioſa mulier, mentem animumq; religioni ſolidius addixit, & ab Agilulpho Viro obtinuit, gentem Longobardam ab omni idololatria, & hæreſcos ſpurcitia ſe abdicare. Inſuper Agilulphus Rex bona Eccleſiarum quæ à Longobardis ubiq; tenebantur donationesque multas quarum extant privilegia fecit Eccleſiis.* Vides igitur quam ob cauſam Pontifex aliquandiu Longobardos ſibi devinctos habuerit, ſcil. quod ſperaverit, eâ ratione rem Romanam poſſe reſtitui, bonaque Eccleſiæ deperdita recuperari. Sed mox ab ingenio hoc deſcivit Longobardus, & Gregorium Pontificem

ficem subdolè decepit. Audita enim Mauricii cum eo & Romanis dissensione, spem concepit Roma & Italia potiundi, unde licet Theudelinda hortante magnam spem pacis constituendæ Gregorio Pontifici præbuisset, expeditionem tamen æstate præterita in Mantuam Cremonamq; urbes destinatam ad urbem Romam ducere constituit. Quæ cum ibidem essent nunciata, illicò Pontifex & Magister militum Nepesum accesserunt. Agilulphus verò cum equitatu advolans tanto irruit impetu, ut parum abfuerit quin Pontifex fuerit interceptus. Obsessa itaq; est Roma & maximam eo tempore pertulit calamitatem. Quod ut eò clarius appareat, verba ipsius Gregorii M. ex epistolis ejus excerpta afferre est libitum. Scripserat Mauricius Gregorio, simplicemq; appellabat quod Agilulpho credidisset, pacem subdolè offerenti. Ad quæ Gregorius: *Ego ab Agilulpho deceptus simplex appellor, sed is toto corde ad Remp. venire paratus fuit, dumq; mihi non creditur, imò magis Nordulfo creditum est quam mihi, videor esse mentitus. Sed hoc me vehementer affligit, quia unde ego crimen falsitatis tolero, inde Italia quotidiè ducitur sub Longo-*

bardorum jugo captiva, dumq; meis assertionibus non creditur, vires hostium immaniter extrescunt &c. Hoc ne Longobardos sibi devinctissimos habere significat? Idem Gregorius, *posthæc* (inquit) *gravior plaga fuit adventus Agilulphi, ita ut oculis meis cernerem Romanos more canum in colla funibus ligatos, qui ad Franciam ducebantur venales.* Et in expositione Ezechielis: *Quid est* (*inquit*,) *quod jam in hoc mundo libeat? ubiq; luctus aspicimus, undiq; gemitus audimus, destructæ urbes, eversa sunt castra, in solitudinem terra redacta est,* & paulo post: *Ipsa autem quæ aliquando Mundi Domina esse videbatur, qualis remanserit Roma conspicimus, immensis doloribus multipliciter attrita, desolatione civium, impressione hostium, frequentia ruinarum: jam de illa omnes potentes ablati sunt, ubi enim Senatus, ubi jam populus? omnis in ea dignitatum ordo extinctus. Et tamen ipsos nos paucos qui remansimus adhuc quotidie innumeræ tribulationes premunt, jam vacua ruit Roma, ruinis namq; crescentibus ipsa destrui ædificia videmus, & postquam defecerunt homines, etiam parietes cadunt.* Hanc verò calamitatem Gregorius interfecto Mau-

Mauricio Phocæ per Diaconum quendam, exponi jussit, id quamprimum Agilulphus intellexisset, ut præsidia sibi adversus novum Imperatorem pararet, affinitatem cum Theudeberto Francorum Rege quæsivit, contractisque copiis, quibus in obsidione Urbis Romæ usus erat, Mantuam Cremonamque gravi obsidione cinxit, quibus expugnatis, pacem cum Romanis constituit. Postea Martini Pontificis suasione Theodorus Italiæ Exarchus, Romano exercitu instructus, Longobardo Regi bellum indixit, magnosq; apparatus & ipse impiger Longobardus fecit, id verò quâ ratione & quo eventu sit gestum, tradit Blondus l. a. pag. 126. Hinc autem clarissimè apparet, Pontificem neque cum Longobardis adversus Græcos conspirasse, nec hos seu Exarchatum per Longobardos sustulisse. Multò minus ex eo, quod Aripertus (quem Regem omnium primum perperam nuncupas,) postea Romanæ Ecclesiæ integrâ provinciam Alpes nim. Cottias dono dederit, rectè colligitur, Papam aliquandiu Longobardos sibi devinctissimos habuisse in Græcorum exitium, siquidem ex ipso quoq; (quem citas) P. Diacono l. 6. c. 13. constat: *Alpes illas Cottias quondam ad jus Ecclesiæ R. pertinuisse, sed*

sed à Longobardis multo tempore ablatas ARIPERTUM RESTITUISSE, *& hanc donationem*, seu restitutionem potius, *aureis exaratam literis Romam direxisse*, hoc unum est.

Neque verò II. Aistulphum Longobardum Pontifex per *Francos* post longa annorum decursa tempora propterea summovit, quod suæ Dominationi quam moliri incipiebat, gravis existeret, sed (Paulo, Blondo, Platina, Sigonio, Urspergense aliisque tradentibus) Aistulphum Romanorum agros & fines bello vexantem verbis & muneribus potius placare conatus est. Cum verò nihil ille profecisset, sed tributum sibi Rex avariſſimus pendi voluisset à populo Romano, quotannis singulis aureis in capita collatis, rejecit nefariam petitionem Stephanus II. Pontifex, & missa Constantinopolin legatione, Imperatorem hortatus est, ut ad defensionē jurium, quæ supererant Imp. Rom. in Italia exercitum mitteret: Ast quoniam Imperator Græcorum in Italia Imperium leviter curare videretur, nec iteratis sæpè muneribus ac legationibus durus Aistulphi animus emolliri valeret, idem Pontifex ad Pipinum Francorum Regem recurrendum esse putavit, qui cum

Exer-

Exercitu alpes transgrediens in ipsis montium faucibus Aistulphum prælio vicit, fugatumque insequens, Papiæ obsedit: quibus Aistulphi calamitatibus motus Pontifex pacem ultrò ei pollicetur, modo ablata restituat. Accepit tandem pacis conditiones Longobardus, & plura etiam quam quæ peterentur promisit jure jurando interposito; Sed ab hâc indole mox descivit Aistulphus, etenim velut fato quodam actus, cum dilatare magnitudinis suæ vires mallet, quam regere, graviori molimine discrimen provocavit, & contractis celeriter undique copiis, tumultuario magis quam justo exercitu Romam obsidione cingit, suburbanaque omnia vastat & incendit, majore propè damno ex hoc latrocinio accepto, quam trecentis jam & quatuor ac quadraginta annis ab inclinatione Imperii illatum fuisset. Denuo itaq; à Pontifice (fœdifragum haud timente) rogatus Pipinus, Romæ perfidiâ & rabie Aistulphi laboranti opem tulit, ac Papiam movens, ita hostem obsidione pressit, ut brevi eum pristinas pacis conditiones accipere coëgerit, qui tamen deditione nondum plane factâ, inter venandum forte ab apro percussus, velut scele-

sceleri immortuus est. Hinc Regnum Desiderius, qui Aistulpho Comes stabuli fuerat sibi vindicavit. In novo hoc Rege etsi summa quædam pacis & pietatis indicia reluxerint, mox tamen ea ambitione (quæ pestis jam propemodum hæreditaria erat) sunt corrupta. Cum enim universæ Italiæ Imperium affectaret, Romam & Ravennam occultis factionibus etiam turbare conatus est. Atq; ut infestum Pontifici Carolum redderet, Galliamque collideret, Carolomanni uxorem, filiosque à patruo velut profugos in clientelam suam admittit, eos si Reges Pontifex inungeret, pacem fieri posse, id cum facere recusaret, repentina vi arma in eum sunt mota. Ferraria, Camaclum, Faventia captæ; & quia ubiq; Romanis jam infesti Longobardi, velut uno incendio Italia flagrabat. Pontifex in tanta calamitate ad Carolum Legatos mittit, auxiliumque implorat, quo impetrato, tanto ardore in bellum itum est, ut minari fata Longobardis viderentur, qui sive fessi, sive delicati, & ducentorum plus minus annorum deliciis in Italia emolliti, fortes esse desierant. Desiderius enim Alpes (quarum fauces antea exercitu valido occupaverat) deserens, celeri fu-

fuga Ticinum contendit, Regni fata mœnibus turribusque crediturus. Hujus urbis cum duraret obsidio, Carolus divisis copiis Veronam quoque cinxit, quo à Desiderio filius Adalgisus missus fuerat, sed ille imparem se ratus longiori bello, libertatem fuga emit, & ex urbe prorumpens in Græciam elapsus est. Constantior adhuc non felicior Pater ad ultimam tandem necessitatem compulsus, se, uxorem liberosque hostis commisit arbitrio, hoc unum in solatium miseriæ vertens, quod à Carolo vinceretur. Sic tandem, cum clementiam victoris omnes mallent quam vim experiri, à Longobardis ad Francos sceptra Regni sunt translata. Hæc paulò fusius ex probatis historiarum monumentis enarrare placuit, ut eò magis appareat, Longobardos neutiquam propterea à Pontifice Pipini & Caroli ope summotos fuisse, quod Dominationi Papali graves essent, sed quod agros Italiæ Romanarum partium rapinis & incursionibus infestaverint, belloque victi, nec pacta servaverint, nec steterint promissis, sed infrunitæ potius ambitioni avaritiæq; satisfacere laboraverint.

Quam-

Quamvis autem præfractè Tibi negare haud velim Pontifices Rom. eo tempore Exarchatum (multarum civitatum gubernationem) in Italia ad se trahere conatos fuisse, neutiquam tamen planum adeo ac perspectum est, eosdem *Francos* quoq; eapropter Italiâ exclusisse ne suæ Dominationi graves existerent, cum Te ipso dicente Pipinus omnes Exarchatus urbes Aistulpho ereptas sponte Pontifici donaverit, & (Platina teste) Gregorio, Constantini Quarti Imp. protosecretario petenti, ne Exarchatum Ravennatem ad Imp. pertinentem vel Pontifici vel Romanis dedat, si ei contigerit Longobardos superare; responderit: *Se in Italiam ideò venisse ut Pontifici & populo Romano rem gratam faceret, consulturumque eorum commodis, quoad ejus fieri poterit.* Et quibus obsecro artibus usi sunt Pontifices, ut I H. deniq; *Francos* etiam Româ atq; Italia penitus excluderent?

CHRISTOPH. *Normannorum tandem usi auxilio, quos ea gratia Apuliæ Siciliæque dominatu potiri passi sunt, sic tamen ut beneficio Apostolicæ sedis id Regnum acceptum se referre faterentur, &c.* Diatr. p. 43.

THEO-

THEOPH. Normannorum? nonne iis maximè infensos contrariosq; Pontifices fuisse, historiarum monumenta testantur? Namque Leo Nonus Pontifex Max. (gravissimè propterea reprehensus à Petro Damiano Epist. ad Firmanum Episc. quæ extat. opp. pag. 52.) Normannis iratus, quoniam Bonaventum quæ urbs Rom. Pont. imperio parebat, Duce Gisulpho Principe Salernitanorum invasissent, fretus auxiliis Germanorum, illis bellum intulit, cum non diffideret, semel prælio victos ex Italia ejecturum. Occurerunt illi Normanni in Marrucinis ad urbem Theate, ingentibus instructi copiis, ac memorabili prælio commisso, victis Germanis Leonem captivum Romam deducendum, suorum præsidio stipatum curaverunt. Quâ tanta victoria Normanni cum essent potiti, jam viribus domesticis subnixi, omnem externam vim aspernaturi videbantur. Neque enim solùm erant hostibus formidabiles, quos sæpe armis vicissent, sed moderatè victoria usi, per quandam clementiæ opinionem sibi populis conciliatis, Principes magno omnium consensu in Italia habebantur. Quod autem Apuliæ Siciliæq; domi-

natum obtinuerunt, id singulari Pontificis favore aut Apostolicæ sedis (ita dictæ) beneficio haud effectum est, sed cum ab inclinatione Imperii Romani diu Italia exteris nationibus prædæ fuisset, & per ducentos ferè & quinquaginta annos Principes illam Italiæ divisionem quâ Carolus M. Francorum Rex magnam istam Regni Neapolitani partem Nicephoro Græcorum Imperatori adjudicavit) ratam habuissent, Normanni, in Siciliam à Græcis auxilio vocati, primò Pœnos, qui jam insulam omnem armis invaserant, uno prælio victos ejecerunt; Cum autem victoriæ præmium (quod ob egregiè sociis navatam operam sibi maximum spondebant) amississent, mox orta controversia Græcos jam liberius Normanni violati fœderis accusabant, fecisseq; adversus datam fidem querebantur. Ita in Campania coactos in aciem descendere, cum eorum à quibus æquitas stabat, victoria fuisset, decedere victos ex Italia Normanni coegerunt. Græcis itaque deturbatis, brevi Apuliæ Siciliæque dominatu sunt potiti, eumque tenere Papa quum impedire non posset, (quod antea cogitarat) modo feudatarios se agnoscant, permisit.

Cum

Cum verò tantum esset Normannorum in Italia Imperium, Gregorius Septimus (cujus Legatus Richardum Roberti Ducis fratrem, Pontificum Imperio armis imminentem, in Apuliam Mathildis copiis fretus, rejecerat,) coacto Romæ conventu aquâ & igne Roberto Normannisq; interdixit. Ast cum Gregorium Henrici Cæsaris inimicitiæ exercerent, adesse occasionem rei gerendæ arbitrati, bellum parant, atque Salerno per vim capto Beneventum oppugnare instituunt, incœptisque fortuna adfuisset, nisi à Gregorio jam sua sponte mitius cum iis agente, solvere obsidionem persuasi, alio arma vertissent. Licet verò dehinc Normanni cum Pontifice in gratiam redierint, & adversus Henricum Imp. (oppida Latii ipsamq; Romam invadentem, ac Gelasium II. vi armatâ opprimentem) evocati, Imperatorem militaris apparatûs famâ adeò exterruerint, ut urbe repente discesserit; attamen nec eâ gratia Apuliæ dominatum (quo antea jam sunt potiti) obtinuerunt, neque firmam aut solidam cum ipso Pontifice amicitiam coluerunt. Etenim cum Roberto mortuo Rogerius Principatum occupasset, eique cum majore Imperii parte Regis etiam nomen (ob quam

causam non disertè traditur,) obtigisset; Pontifex Normanni Imperii jus ad se pertinere contendens, accerrimè illum bello est persecutus, capto autem Innocentio II à Gulielmo filio & successore, Regnum omni superata invidia Rogerius obtinuit. Eo verò defuncto filia Constantia Henrico Cæsari nupsit Ænobarbi filio, qui primus Gentis Suevorum Siciliæ Regnum, *dejectis Normannis*, est consecutus. Quæ omnia satis innuere videntur, visionem Propheticam de tribus evulsis cornibus neutiquam ad Rom. Pontificem quadrare, nec ei istum Cornu parvi typum commodè applicari posse. Imò verò cum ipsi Normanni quoque ex Italia sint dejecti, & ante illos (quæ Tua assertio est) Græci Longobardi & Franci propterea ne dominationi Pontificiæ graves essent summoti; non tria tantùm, sed *Quatuor cornua* (ut de Gothis Græcorum & Narsetis cumprimis virtute ex Italia sublatis, jam nihil dicam) coram Pontifice evulsa habebimus, quod tamen Sacræ revelationi, (tria solùm cornua commemoranti) prorsus adversatur. Vides igitur doctissime Vir, quantis Tua cornu parvi interpretatio laboret difficultatibus, & ad

ad quam multa eam asserenti sit respondendum. Anne verò alia supereſt ratio, qua velis evincere, Cornu parvum de Pontifice explicandum esse?

CHRISTOPH. *Deniq; Septimò quod non de Muhammede sed de Pontifice parvum cornu explicandum sit, conarer etiam demonstrare ex corniculi ætate, quam Propheta dicit duraturam Tempus tempora & dimidium temporis. Quandoquidem pro comperto habeo, hanc ætatem Antichristo quoque Dan. XII. Apoc. XI. & XII. non uno sub schemate tributam esse.* Diatr. p. 46.

THEOPH. Torsit hæc corniculi ætas subinde interpretes, & difficultate sua acutissimos quosque huc usq; fatigavit. Præterquam enim quod Doctores Pontificii istud temporis spatium Antichristi sui utopici dominio magno consensu attribuerint hactenus, Calvinianorum etiam plurimi, Scaliger Lib. VI. de emend. Temp. Cham. Tom. II. Lib. 17. cap. 7. §. 8. Junius, Tremell. Polanus in h.l. & Abbatus de Antichr. p. 172. tres annos Solares cum dimidio, vel tres annos cum decem diebus hinc colligere, & Antiocho Epiphani assignare non dubitarunt. Ast cum Interpretes illi nullum huc usque è

Sacro codice locum indicaverint, in quo tempus annum, tempora biennium rotundè notent, nec מועד (ipso Lessio Lib. de Antichr. §. 50. p. 39. teste) præcisè medietatẽ significet, sed pro ratione subjectæ materiæ partem aliquando minorem; haud dubiè Tecum V. D. ad angelicos annos erit confugiendum. Sed cum hîc iterum ingens sententiarum divortium in ponendo hujus periodi initio invenire liceat, nihil in specie definire audebimus. Non multum quidem à scopo aberrare videntur illi, qui ab anno 630. (quo Muhammedes sceleratissimus Romanum Imp. allatrare, vel anno 613. quo dogmata sua pestilentissima disseminare cepit) hos annos angelicos numerandos esse reputarunt, adeòq; si ab isto Imp. Muhammedici initio computemus ad tempora nostra præsentia, non adeò multum adhuc temporis ad ejusdem abolitionem restaret; verum quoniam omnimoda corniculi destructio etiam glorioso Christi adventui adscribitur, tutius erit hunc quoq; gryphum eousque insolubilem nuncupare, præsertim cum propter electos dies istos abbreviatum iri Christus promiserit, Matth. XXIV. Hactenus quidem à plurimis observatum,

vatum, ipſaq́; experientia eſt comprobatum, hoc Orientis Imperium ſub imminentem caſum vacillare, conſumptoq́; Beſtialis furoris impetu, in ruinam incumbere. Fuit quondam eximia principium virtute, ſevera caſtrorum disciplina, copiarum robore, opum abundantia, domi foriſq́; egregia civium fide, diligentia, conſenſione, fortunæque proſperitate longè firmiſſimum; At quantum nunc illa per maria terrasque diffuſa majeſtas de ſua dignitate viriumque robore amiſit! ut elanguit militum virtus, ipſorum Principum vigore emarceſcente! quam valide ſuccutitur illa in Oriente Tibia, oſſium nervorumque compage penè diſſoluta! Respublica univerſa inteſtinis ſeditionibus tumultibusque fervet. Nulla amplius in gerendis bellis ſtrenuitas, in proferendis Imperii terminis alacritas, in paranda dominationis gloria vigilantia cernitur. Neque verò hæc ſolum, verum alia inſuper plurima Imperii Turcici inclinationem innuere, imò ipſi Turcæ (peſſima de dominio ſuo auguranteſ) ſi non totalem attamen inſignem ejus everſionem metuere videntur, dum teſte Georgoviz. hiſtor. Sarac. p. 166. canere ſolent

præsagium quoddam viri cum gemitu, pueri cum fletu, mulieres cum planctu, non aliter ac si in futurum denunciata calamitas, jam jam eorum cervicibus incumberet.

Antequam verò ad alia pergamus, prius excutienda sunt argumenta, quæ istum Cornu parvi typum non ad Romanum Pontificem, sed Imper. Saraceno-Turcicum applicandum esse, magis evincere videntur. Primò etenim omnes textus circumstantiæ innuunt cornu hocce parvulum, SECULAREM quendam denotare Principem, seu Caput quoddam Politicum, eò quod oritur è decem Cornibus, i.e. è medio Regum vel Principum, & Angelus infra expressè nominet Cornu istud *Regem*, qui potentior sit futurus prioribus. Antichristus autem licet Regiam eminentiam sibi vendicet, Dan. XI. licet etiam secularis princeps suo modo appellari possit, attamen in proprio suo habitu Antichristus non ut Monarcha & Rex, sed ut pseud-apostolus & impius Ecclesiæ Doctor inducitur. Quid quod ipsi Clemens Leoque I. pluresque alii, Monarchicam potestatem (quæ corniculo haud deroganda) jure divino Papis non competere agnoverint,

rint, probante Dn. D. Gerhardo Conf. Cath. Tom. II. p. 644. seqq. Et quamvis Jesuitæ negare vix audeant, Papam Terrenum esse Principem, de modo tamen inter Carrerium cum Canonistis & Bellarminum lis fuit agitata, quam huc accersere non est præsentis instituti. Deinde cum de corniculo in S. Textu dicatur, quod tria cornua sit dejecturum, & Sanctis Dei bellum illaturum, eo ipso aperte indicatur Tyrannum, hoc typo signatum fore EXTRA ECCLESIAM, cum è contra Antichristus in media Ecclesia sedeat, II. Thess. II. neque cornua dejiciat, sed toti Bestiæ illæsæ insideat Apoc. XVII. quod ipsi Doctores Pontificii antea indicati, testatum faciunt, dum omnia Orbis Europæi Regna ad Pontificem pertinere impudenti ore pronunciant. Porrò adventus Antichristi est cum prodigiis & miraculis Matth. XXIV. Luc. XXI. II. Thess. II. huic autem corniculo nulla miracula, sed vis sævitia & blasphemia tribuuntur. Has aliasq; difficultates videns quidam Magni nominis Theologus, alicubi notanter scribit: *Papam esse Antichristum ex Cap. VII. Dan. ut probemus, nulla nos cogit necessitas*, & alius supra laudatus,

tus, *per Cornu parvum non niſi Antichriſtum intelligi, à nullo demonſtrari poſſe* contendit. Neque inſuper credibile eſt, in Danielis prophetia vaſtum adeò & potens Imperium, (quale illud Saraceno-Turcicum,) plane prætermiſſum, nec typo aliquo adumbratum fuiſſe. Deniqué probè notari velim, quod omnes ferè orthodoxi interpretes, qui Dan. XII. caput de Antichriſto illo M. accipiendum evidentia prophetiæ convicti docuêre, Cornu tamen parvum Dan. VII. non de Antichriſto, ſed Imperio Turcico ſint interpretati, credo quod facilè deprehenderint, utrumq; Dan. locum ſoli Romano Pontifici haud commodè applicari poſſe. Hinc etiam Rabbinorum doctiſſ. Iſaacus Abarbanel, etſi Papæ dominium in urbe Roma inſtitutum, per cornu parvum repræſantatum fuiſſe ſtatuerit, caput duodecimum tamen longè de alio, videl. Conſtantino ipſo Imp. expoſuit; *eò quod* (ita Abarb.) *dereliquerit Deum patrum ſuorum, & dederit fortitudines terræ ſuæ Diis alienis, terramq; ſuam illis diſtribuerit propretio medicinæ, quia polliciti fuerint ei, ſe ipſum à lepra ejus curaturum*. An explicatio hæc Tibi pariter ac prior illa Cap. VII.

VII. 25. valde arrideat, ipse cogitabis. Imò idem Abarbanel postquam Christianorum quoque expositionem prolixè recensuisset, scribere haud dubitavit: *Scripturæ ipsæ clamant foras, quod nunquam intenderint, nec cogitaverint vel minimum de expositione illorum. Jes. XXXIII. 7.* Sed Prophetiam DANIELIS nunc porrò lustrabimus, quo facto, non dubito quin clarior etiam futura sit ea pars Apocalypseos, de quâ acturi deinceps sumus, & certior recepta in Ecclesiis nostris Angelicorum vaticiniorum explicatio.

CHRISTOPH. *Quoniam Calculator anonymus è duodecimo quoq; Dan. capite versum septimum, in quo trium temporum cum dimidio iterata mentio fit, cæterosque qui ibi sunt numeros suo calculo, pro fundamento substernit; Tuq; id generali isto pronunciato, quòd sub initium præcedentis capitis produximus, subruere conaris; non possum, quin Te admoneam, ut Tui ipse sis memor, qui hæc dicens, mox tamen asserere non dubites, ex hoc eodem loco constare interitum Antichristi solis quadraginta quinq; diebus à fine mundi abesse. Utiq; igitur de Antichristo*

hoc

hoc in loco fit mentio, ejusdemq; dominii tempus præfinitur. Hanc ipsam credo ob causam, cum de locis reliquis pronunciatum tuum probare conatus sis, de hoc loco Dan. XII. nec non de Cap. XI. Apoc. probationem prorsus omittis. Diatr. p. 47.

THEOPH. Quamvis (ut ab initio dixi) gravatè haud feram, me ab Amico admoneri, optarem tamen ut rectius paulò atque fidelius animi pariter ac examinis mei sensa reddidisses. Si enim quintum & septimum ejusd. numerum probè inspicias, facilè apparebit, me non ex propria, verum adversa planè & à me improbata Pontificiorum sententia scripsisse; *interitum Antichristi solis 45. diebus à fine mundi abesse.* Postquam enim V. & VII. Numero illius quoque explicationis feciſsem mentionem, quæ calculum Prophetico-Apoc. Dan. VII. & XII. item Apoc. XI. de diebus vulgaribus accipit, atque tres annos cum dimidio Antichristo attribuit, ab ea me plane alienum ostendi his verbis: *quâ tamen* (NB.) *hypothesi stante, notum omnino erit tempus noviſsimi diei, cum Antichristi interitus extremo judicio immediatè (solo XLV. dierum interstitio) con-*

conjungatur. Quin imò Septimo Exam. §. apertè contendi : *Rectè ſententiæ huic nuntium miſiſſe omnes melioris notæ interpretes, præterquam enim quod planè ἀδύνατον appareat, Antichriſtum tam exiguo temporis ſpatio res tantas præſtiturum, SENTENTIA iſta STANTE, non modo annum aut menſem, ſed ipſum etiam adventûs Chriſti diem præfiniri poſſe.* Si enim poſt Antichriſti interitum dies 45. præcisè intercedant usque ad judicii diem, illa dies certò ac definitè ſciri poterit. Aſt quoniam iſtam de diebus vulgaribus ſententiam, meam neutiquam fecerim, liquidò conſtat, me nõ ex propria ſed aliena planè adverſaque ſententia ſcripſiſſe : *interitum Antichriſti à fine Mundi abeſſe ſolis 45. diebus*, adeoque mei ſatis memorem fuiſſe. Et cum generali iſtó pronunciato neutiquam negaverim Dan. XII. Antichriſti mentionem factam, ſed ejus ſolummodò Dominii tempus exactè quoad Terminos præfinitum fuiſſe; ſatis apparet, me hanc ipſam nec aliam ob cauſam pronunciati probationem de eo ut & capitis XI. Apoc. loco prorſus omiſiſſe. Sed miſſis hiſce, rem ipſam Deo fortunante aggrediamur,

mur, ac de XII. Dan. cap. amicam porrò collationem instituamus".

CHRISTOPH. *Primam quidem propositi nostri partem quod attinet, de eo sermonem* (Dan. XII.) *esse constat*, qui se efferet & magnificabit super omnem Deum, & contra Deum Deorum loquetur magnifica. *Hanc verò esse notam Antichristi D. Apostolus II. Thess. II. 4 clarè testatur: nec in alium quenquam tàm accuratè hoc competit, quam Pont. Rom. Sermo porrò est de illo, qui mulierum amorem legitimum videlicet, neglecturus est, id quod Regno Papæo tanquam fundamentum substernitur, cum periculum sit cælibatu sublato, ne variis ex causis uxorati sacerdotes & Episcopi politico Magistratui fiant obnoxii, suamq; à Civili jure exemtionem tueri non possint.* Diatr. p.49. & seqq.

THEOPH. Protinus hic Vir Doctissime controversiam moves ubi concordia est, & bellum indicis ubi pax est. Facilè namque largior, duodecimo Dan. cap. non alium quam Antichristum repræsentari. Porphyrius quidem Christianæ Religionis odio Caput illud de Antiocho Epiphane exposuit, cujus pertinaciam & perversam πρεβλότητα

etsi

etsi D. Hieron. in h.l. satis mirari non potuerit, glossam tamen ejus Bellarminus, Maldonatus, Junius, Brugthonus, Tremellius, & Judaizans Grotius (Magni & de Ecclesia orthodoxa meritissimi Theologi Dn. D. Calovii telis jam confossus) calculo suo probare non dubitarunt. Veruntamen inconvenientiam sententiæ hujus de prehendére præter Christianos ipsi quoque Judæi, novum hîc argumentum inchoari docentes, objectumq; aliud sisti ab Angelo, quam hactenus tractatum fuerit. Et quamvis ne sic quidem consensus emergat, aliis hæc cum Abarbanele Aben-Esra & Jachiade ad Constantinum Magnum; aliis cum Gorionide ad Titum Vespasianum; aliis ad successorem Juliani; aliis cum R. Salomone ad Romanum Imperium generatim referentibus: Quoniam tamen de Antichristo hîc agi, tam veteres quam recentes unanimi consensu tradiderunt, nos quoque limatam hanc & Sacræ revelationi omninò conformem explicationem in dubium vocare neutiquam audebimus~. Neque enim existimandum est (ita Dn. D. Geierus ad h. l. pag. 919. egregiè scribit) per huncce Regem Personam exprimi unicam, vel individuum unius

unius hominis, quale designatum hactenus, aut qualem sibi cum Judæis fingunt Papistæ Antichristum quadrimulum, quippe certum potius hîc inchoat Regnum, in quo plures sibi invicem succedunt, æque ut supra in Monarchiis cernere licuit, ubi ad unam bestiam ostensam pertinuerunt personæ plures, ordine sibi invicem succedentes. Atque hoc modo ה demonstrativum etiam alibi multidinis character est, æque ut articulus Græcorum demonstrativus in illo Marc. III. 26. & Luc. XI. 18. ὁ Σατανᾶς ubi Diabolorum cohors innuitur, sicut Marc. II 27. ὁ ἄνθρωπος totum exprimit hominum genus: ita individuum vagum litera ה notatum, deprehendimus Gen. XIV. 13. cap. IX 24. c. XXXVIII. 11. I. Sam. VIII. 11. (*jus* המלך *Regis cujus vis Ebræorum*) Lev. IV. 3. 5. 6. 7. 16. 17. (הכהן *sacerdos unctus si peccaverit,*) conf Dan. VII. 21. *de hirco*, & cap. VIII. 6. de *ariete*: quæ ipsa satisfacere poterunt objectionibus Bellarm. Lib. III. de Pont. Rom. c. 2 Hactenus Vir ille laudatissimus. Alia argumenta suppeditat B. Dn D. Danhavverus Ἀντιχρ. pag. 273. seqq.

CHRISTOPH. *Cum ita q. his nemo contradicat, alteram nunc propositi nostri par-*

partem exsequemur, visuri, utrum ex hoc loco Dan. XII. 11. seqq. id sequatur; quod à Tebis dicitur, semel in 5. numero tui examinis: rursus num. 7. videlicet, quod Antichristi interitus extremo judicio solo 45. dierum interstitio conjungatur. Sic autem se habent versiculi tres postremi, in prædict. cap. XII. Et à tempore remoti Tamid, & repositæ desolationis abominabilis, dies sunt 1290. Beati expectantes & attingentes dies 1335. Et tu abi in finem, & requisce & stabis in sorte Tua in fine dierum. Diatr. p. 52.

THEOPH. Nisi terminus ille Propheticus dierum 1290. cum tota ferè Interpretum Romanensium turba, de diebus vulgaribus seu annis tribus cum semisse accipiatur, neutiquam ex hoc loco (Dan. XII. 11.) sequitur, quod Antichristi interitus extremo judicio solo 45. dierum interstitio conjungatur. Neque verò sententiæ hujus patrocinium in Exam. meo suscipere, sed potius forti hocce validoque ariete tritam ac vulgarem Pontificiorum de diebus vulgaribus explicationem impugnare constitui, quoniam sc. eâ stante, non modo annus aut mensis, verum ipse etiam adventûs Christi dies præ-

finiri posset. Sed placet Tuam porrò de Sacro Dan. textu percipere sententiam.

CHRISTOPH. *Antichristi initia conjicit Propheta in id Tempus quod triplici ipse nota voluit insignire: quarum una est* finis dispersionis Sancti populi, *vers. 7. sed ab hoc termino dominatio potius quam nativitas Antichristi, ejusq; infantiæ tempus incipit. Secunda Remotio Tamid*, id est perpetui, *seu earum Legum, quæ in Ecclesia ex DEI voluntate perpetuo observari debeant, vers. 11. Tertia*, repositio desolationis abominandæ, *cum videlicet in locum divinarum Legum* ἐθελοθρησκεία *& cultus idololatricus substituetur. Ab hoc itaque termino triplici ista nota insignito dicit Propheta futuros esse dies 1290. beatos verò qui expectent dies 1335. Illum igitur numerum Tu de fine Antichristi, hunc de consummatione seculi, sicut etiam Anglus anonymus intellexerat intelligis. Ego verò neq; illum terminum de omnimodo fine Regni Antichristiani, neq; postremum de fine Mundi possum exaudire; sed de casu quidem Antichristi utrumq; secundum magis & minus &c.* Diatr. pag. 53.

THEO-

THEOPH. Etsi non leve ætatis Antichristianæ momentum in triplici ista nota positum esse existimes, ostendere tamen conabor, eam probè consideratam, neutiquam exactè indicare, unde præcisè numerandi faciendum initium, vel à quo anno ætas Antichristi sit inchoanda? Primò etenim è Sacro Dan. textu non indubitatò constat, an dies illi 1335. de tota Antichristi ætate, an verò de annis duntaxat Dominii sive Tyrannidis sint accipiendi, ita enim Revelator Angelus Cap. XII. 11. *A Tempore* (inquit) *quo ablatus fuerit jugis cultus, & posita abominatio desolationis, dies erunt* (ætatis an Dominii? non liquet,) *M CC XC.* Quamvis verò Tu D. V à termino vers. 7. (in quo trium temporum cum dimidio mentio sit,) dominationem potius quam nativitatem Antichristi incipiendam esse pronuncies, attamen non possum quin Te admoneam, ut tui ipse sis memor, qui hæc dicens, mox asserere non dubites, *ab hoc termino TRIPLICI* (non duplici juxta v. 11.) *ista nota insignito, futuros dies 1290.* adeoq; etiam à termino vers. 7. indicato, ipsam ætatem Antichristi esse inchoandam, *quandoquidem* supra (Diatr. p. 46.)

pro comperto habuisti, hanc ÆTATEM Antichristo quoq; Dan. cap. XII. Apoc. XI. & XII. non uno sub schemate tributam esse. Imò verò si ille trium temporum cum dimidio terminus vers. 7. de tempore solum dominii, & alter iste dierum vers. 11. de ipsa Antichristi ætate sit intelligendus, minimè clara amplius erit aut exacta temporis & dierum harmonia, neque sub istis periphrasibus unum idemque tempus continebitur. Taceo quod vix aliqua ratio, illîc tempus dominii, hîc ætatem totam intelligendi dari possit, hoc unum est. Secundò probè notandum, quod Propheta Terminum *à quo* esse dixerit REMOTIONEM JUGIS SACRIFICII; *Sine dubio autem* (ita cum Theologis Vinarienſ. D. Geierus Comm. in h. l.) *phrasibus Veteris Testamenti exponuntur res Testamenti Novi. Adeoq; sicut sacrificium juge cultus erat divinitus restitutus, expiationem Messiæ perfectissimam ac unicam quotidiè revocans in memoriam fidelibus, ita in N. T. remotio talis sacrificii nil aliud erit, quam extinctio meriti ac passionis Christi, non uno modo in Papatu facta per meritorum propriorum confictionem, Sanctorum commendationem*, super-

superstitiosorum cultuum cumulationem, &c. quemadmodum etiam D. Dorscheus de Missâ cap. IV. p. 107. Remotionem istam jugis sacrificii *de suppressione cultûs sacri, in Dei verbo præscripti*, & D. Calovius in Annot. Anti-Grotian. ad h.l. *de obscurata & tantum non abolitâ memoria unici sacrificii Christi propitiatorii*, sunt interpretati. Cum autem hæc jugis sacrificii remotio sive abolitio, neutiquam uno impetu, UNOq; anno proruperit, sed *successivè* in Ecclesiam irrepserit, clarissimè apparet, Prophetam terminum à quo neutiquam studiosè adeò indicasse, ut calculum inire volenti certò constare possit, à quo præcisè anno numerandi sit faciendum initium.

Tertiò Revelator Angelus v. 11. *A Tempore* (inquit) *quo POSITA ABOMINATIO DESOLATIONIS, dies erunt 1290.* ubi per desolationis abominationem Tu quidem ἐθελοθρησκείαν intelligis, cultumque idololatricum in divinarum legum locum substitutum, at verò certum est per repositionem abominandæ desolationis, aut proverbiali specie, aut hebraica phrasi horribilem stragem notari seu exitum, vel

casum rei egregiæ, quæ antea splendidè stetit, maximeq; floruit. Sic desolationis abominationem (de quâ Propheta alibi & Christus Matth. XXIV.) de ipso Romano exercitu urbem Jerosolymam & Templum obsidente explicandam esse, S. Lucas clarè indicat, verba Matthæi cap. XXIV, 15. de Exercitu Romano exponens h.m. *Quum videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, scitote quia appropinquavit desolatio ejus, tunc qui in Judæa sunt*, &c. Sanè si quis antecedentia & consequentia, ordinem seriemq; rerum ab utroq; Evangelista dictarum, attentè dispiciat, facilè assentietur, quod Matthæus dixit *Abominationem desolationis stantem in loco sancto*, hoc ipsum Lucam dixisse exercitum circumdantem Jerusalem, & imminentem urbis ejus desolationem. Quid, quod Romanus ille Exercitus valdè appositè dictus sit abominatio, vel quia ex Gentibus idololatris & impiis erat conflatus, vel quia in eo erant aquilæ & signa alia militaria imaginibus Principum insignita, quæ Judæi tanquam idola maximè execrabantur. Nam Josephus Lib. XVIII. Antiq. c. 7. de Vitellio Syriæ Præside, Arabicum bellum parante, hæc refert: *Cum vellet per Judæam exercitum ducere, occur-*

currerunt ejus regionis principes deprecantes transitum: neq; enim patrios ritus permittere ut inferantur ullæ imagines, quales Romana signa habebant pleraq;. Et alibi non semel testatur Josephus, Judæos haud secus quã idola abominari solitos quasvis imagines hominũ aut animantium. Tanto magis autem Signa Romana sunt execrati, quantò magis ex antiquitate constat, Principum imagines in signis præferri solitas, veluti magna Numina à Romanis cultas fuisse. Dionysius Halic. Lib. VI. de Signis militar. Rom. *venerabilia maximè eâ Romanis, & tanquam Deorum statuas sacra arbitrantur.* Tacitus Annal. I. *conversus ad Signa & bellorum Deos.* & rursum de Aquilis: *Sequerentur Romanas aves, propria Legionum NUMINA.* iterum: *Signa & Aquilam amplexus, religione sese tutabatur.* Vegetius Lib. II. de Re militari cap. 6. *prima cohors imagines Imperatorum id est divina & præsentia signa veneratur.* Tertull. Apolog. c. 16. *Religio Romanorum tota Castrensis, signa veneratur, signa jurat, signa omnib Diis præponit.* Verum de his plura apud Lipsium Lib. IV. de Milit. Rom. & Dempst. in postremis Paral. ad Lib. X. Antiq. Ros. Cum itaq; Judæi merito Rom. signa aquilas & Imagines tanquã idola abominati sint,

capropter Romanus Exercitus rectè abominatio dici potuit: *Desolationis* autem, quod desolationem magis quam dici intelligive possit horrendam ac stupendam, supremumque ac sempiternum exitium urbi ac Templo esset allaturus. Atque hanc explanationem cum veteribus Origene Tract. XVII. in Joh. Augustino Epist. 80. ad Hesych. Auth. oper. imperf. in Matth. homil. 49. & recentioribus plurimis Vatablo, Pellicano Tremellio, Junio, Pererio, Jansenio, Sá, D. Franzio aliisq; amplexus est, B. Dn. D. Danhavverus Memor. Evang. p. 867. Der Evangelist Lucas (inquit) macht vilen Postillanten (deren etliche disen Text erbärmlich martern) Feyrabend / in dem er Matthæum erkläret / Luc. XXI. 20. nennets Κύκλον στρατοπέδων, tanquam signum ἐρημώσεως, die Heer-Belagerung der Statt Jerusalem / dabey man mercken soll / daß die Verstörung herbey kommen: verstehet das Römische Kriegsheer / so sich an der H. Statt dem Heil. Land werde niderlassen / mit den Römischen Adlern / Kayserlichen Bildnussen / und Götzen in den fliegenden Fahnen prangen / und sie empor aufrichten / daß sie den Belagerten fein zecht in die Augen leuchten / das

das ist Der Greuel der Verwüstung. Et quamvis hæc expositio Flaccio frigida & inepta visa fuerit, nihil tamen eâ, (judice D. Franzio de Interp. Script. Orac. XXIV.) brevius, nihil facilius, nihil certius, nihil planius, utpote quam ipse Salvator Matth. XXIV. authoritate sua firmam reddidit. Quorsum hæc inquis digressio? ut exinde perspicias, per repositionem abominandæ desolationis etiam h.l. nil nisi horribilem quandam stragem seu exitum notari miserabilem; Quæ enim obsecro nos cogit necessitas, ut phrasin istam propheticam diversimodè adeò accipiamus? Ac licet Revelator Angelus Cap. XII. de Antichristo manifestè loquatur, nihil tamen impedit quo minus & h.l. abominabile aliquod excidium sit intelligendum, non quod Antichristi initia in tempus Judaici sint conjicienda, (sic enim dies 1335. jam circa annum Christi 1407. completi fuissent,) nec ut quidam volunt, dies 1290. de toto N.T. tempore exponendi, sed cum hujusmodi desolatio non uno anno, verùm multo tempore opus habuerit, incerti potius dies (respectu nimirum termini à quo,) pro certis ac definitis sint accipiendi. Siqúe tandem

vel maximè per desolationis abominationem h. l. Tecum ἐθελοθρησκείαν & cultum idololatricum in divinarum legum locum substitutum intelligamus; tunc ille terminus à quo numerandi initium sit faciendum magis erit incertus: Cum abominationis idololatricæ surrogatio pariter ac jugis sacrificii remotio (quæ duo se mutuo comitantur) neutiquam uno anno proruperit, nec simul & semel, sed successivè, longo temporum tractu in Ecclesiam Christianam introducta; & zizania dormientibus hominibus crevisse potius, quam crescere deprehensa fuerint, de quo prolixi & eruditi Theologorum extant commentarii, v.g. Dn. D. Nicol. Hunnii *Apostas. Rom. Ecclesiæ*, Dn. D. Danhavveri *Disput. Decal. in I. præc.* Dn. D. Hieron. Kromayeri *Disputationes de successivâ & clandestinâ errorum Papalium in Ecclesiam introductione*, & Joh. Valkenieri *Roman. Pagan. seu Lib. de Idol. Pontif. &c.* Unde colligere licet Theologos supra laudatos neutiquam esse reprehendendos quod de Ætate Antichristi nihil definire ausi fuerint, *sed potius hîc* (dicente Dn. D. Geiero l. a) *maluerint* ἐπέχειν, *quam incertâ ariolatione dubiam reddere in-*

ter-

terpretationem quoq; reliquam aliâs fide satis dignam, præsertim quoniam Te ipso confitente & veritatis jubar agnoscente:

CHRISTOPH. *Ipsa panolethria & καταργησις Antichristi non aliud momentum habet, quam adventum Christi ad judicium, sicut clare habetur II. Thess. II 8.* Diatr. p. 55.

THEOPH. Verissima sane hæc est atque tutissima de Ætate Antichristi sententia, scil. quod ejus καταργησις non aliud momentum habeat quam adventum Christi ad judicium, eapropter etiam VII. Exam. meum. contendi, nullum in Scripturis excidii Antichristiani tempus præfinitum, verum silentio planè involutum fuisse; scil. ne momentum illud definiendo, ipsum adventus Christi-tempus (angelis alioquin occultum) definiisse videamur.

CHRISTOPH. *Non verò Propheta terminum triplicem assignavit ad panolethriam Antichristi significandam, sed ut ostenderet, per quæ momenta Ecclesiæ sua libertas ab ista tyrannide tandē reditura sit, fore enim primò, ut post tempus tempora & dimidium temporis seu 1260. annos incipiat malignus ille vinci ac de-*

deſtrui, ſed non fateatur ſe victum, niſi poſt 30. alios annos ſequentes. Verum nec dum ſtatim beatos prædicari poſſe quoslibet veritatis aſſeclas; ſed hoc futurum poſt 45. alios annos, quibus demum finitis, nemo veritatis amator ejus tyrannide prohiberi amplius poſsit, quin liberè iis ſe cœtibus aggreget, in quibus Evangelium pure docetur, & Sacramenta integrè adminiſtrantur. Diatr. p. 56.

THEOPH. Quamvis nova hæc poſtremorum Cap. XII. verſic. explicatio, non maximorum ſolùm Interpretum conſenſu, verum ipſa quoque Sacri Textûs (Reſurrectionem ſtatim poſt ſeculi Antichriſtiani infelicitatem promittentis, *adeò ut* [verba Dn. D. Geieri Comm. in h. l. p. 999. adſcribo] *qui fidem conſcientiamq; ſervaverit puram, per illam ultimam Satanæ tyrannidem AD USq; ipſam Chriſti apparitionem, merito pro beato ſit prædicandus*) authoritate deſtituta, quamplurimis aliis laboret difficultatibus; nunc tamen ſolummodo notari velim, hanc expoſitionem cum Tua cornu parvi interpretatione neutiquam poſſe conciliari: Etenim de eo Dan. VII. 21. diſertè traditur, quod victoriam adverſus Sanctos obtinuerit USque AD

AD FUTURI JUDICII DIEM; *Viderat Cornu gerere bellum cum sanctis, & prævalere eis, usq; dum veniret Antiquus dierum, & judicium daretur Sanctis excelsorum*, vers. 22. Neque post tempus tempora & dimidium temporis (conf. vers. 25.) cornu parvum vinci ac destrui demum incipiet, ita ut non possit amplius opprimere eos, quibus seria cura est veritatis; *Sed judicium considebit, & dominatus ejus auferetur profligando & perdendo usq; ad finem*, vers. 26. *Regnum autem, dominatusq; dabitur populo Sanctorum excelsorum &c.* vers. 27. Si itaque Tuam de Cornu parvo thesin porrò velis Φυλάττειν, etiam statuendum erit, Prophetam terminum istum utiq; ad panolethriam Antichristi significandam assignasse, non autem *visionem propheticam de Regno Antichristi* (uti Diatr. pag. 63. contendis) *complementum suum jam nactam fuisse*. Porrò dic mihi obsecro, cur fideles duro persecutionis jugo pressi, neutiquam pro beatis sint habendi? Observandum etiam, eos, qui ad numerum illum dierum vitam producent, ab Angelo non propterea *Beatos* dictos fuisse, quia illo tempore à persecutionis æstu (ut quidem existimas)

ſtimas) ſint reſpiraturi, ſed quia diu patienter perſecutionum incommoda tolerarunt, expectantes futuram rerum converſionem, & duræ vexationis finem. Ad hunc ferè modum Iſidorus Clarius; *Videtur* (ſcribit) *hic ſenſus: etiamſi tempus ſub Antichriſti perſecutione prolongatum fuerit beatus ille erit qui perſeveravit usq; in finem*. *Numerus enim M CCC XXX. excedit mediam annorum hebdomadam XLV. qui numerus facit Sex ſeptenarios cum dimidio ferè, qui rectè accommodatur ad finem: quaſi dicat: Beatus erit, cujus tanta longanimitas invenietur, ut etiamſi longiſſimum ſpatium afflictionibus illis addetur, ita ut appareret jam ſeptimus ſeptenarius videatur, non tamen excidat.* Cui explicationi favent & illa textûs verba: *qui expectat*, quod affectum animi indicat, qui poſt jactationem & fluctus, quietem ſibi & in portu tranquillitatem promittit, ac ſi dicat: Beati qui obduruerunt contra hoſtis immanis truculentam rabiem, & ſe ipſos rebus ſecundis ſervaverunt; ita namq; verbum הִמְתִּין uſurpatur de Elihu Jobi ſermones expectante, Job. XXXII. 4. de leproſis expectantibus auroram, II. Reg. VII. 9. de expectantibus mortem, Job. III. 20. item Dei auxilium Eſa. VIII. 17.

c. XXX.

c.XXX.18. c.LXIV.4. Hab.II.3. Zeph.III.8. & Psalm.XXXIII.20. *Quapropter & h.l.* (notante Dn.D.Geiero p.996.) *sermo erit de fidelibus Dei servis, qui fidem in Deum, patientiamq; servant illibatam adversus quoslibet carnis insultus ac murmura, nec ad apostasiam ullo flectantur modo, ut cunq; etiam Satanat q; mundus insidiis at q; violentia instet periculosissimè.* Hinc autem facilè apparet, quid impediat, quo minus nova explicatio Tua cum ipso textu Sacro possit conciliari. Cæterum quod ad postremos istos cap. XII. versiculos attinet, neutiquã inficias ire possumus, Maximos etiam Viros, (ac tantum non alteros Danieles) in isto calculo Prophetico plurimas difficultates deprehendisse, imò nonnunquam à sensu prophetiæ, ipsaq; veritatis semita longissimè aberrasse. Præterquam enim quod B. Hieronymus dies illos 45. de spatio à morte & interitu Antichristi ad usq; finẽ mundi intermedio interpretatus sit, etiam Anselmus eosdem *dies quietis & pacis post mortem Antichristi, ad refrigerium Sanctorum & pœnitentiam subversorum* nuncupavit; Taceo Theodoreti, Hugonis, Bedæ, Dionysii Lyrani & aliorum interpretationes, qui ex Danielis oraculo præcisè â nece Anti-

Antichristi usque ad finem seculi quadraginta quinq; dies interceſſuros opinantur, illud ſpatium reſtituti jugis ſacrificii usque ad extremum diem, pœnitentiæ apoſtatis ſub Antichriſto lapſis conceſſæ tribuentes, ut illi qui hôc rectè utuntur, *Beati* nuncupentur. Illi verò qui ad Epiphanem traxerunt hoc vaticinium, id plerunque ad tempus referunt tyranni hujus mortem ſubſequens, quo metus in Judæis adhuc reſiduus penitus evanuit. Ita Polanus, Bruchtonus, L' Empereur, & Ant. Hulſius Theol. Jud. p 77. Neq; ſilentio prætereundum, quod R. Lipmannus in Nizzachon n. 332. hunc dierum 1335. numerum, ita conciliare conetur cum ſpatio verſiculi ſeptimi, ut *Tempus* ſit illud ſpatium ab egreſſu ex Ægypto, ad extructum templum primum, videlicet annorum 480. *Tempora* ſint ſpatium 410. annorum, quamdiu Templum illud ſtetit; *dimidium* deniq; *tempus* (horum ſcil. binorum ſpatiorum) conficiat annos 445. unde emergat tandem ſumma 1335. Etſi verò hanc explicationem pro mero Ingenii Judaici luſu habendam eſſe meritò judicet Dn. D. Geierus ad h.l. p. 997. hoc tamen in Judæo illo laudandum eſſe exiſtimat, quod

quod notanter addiderit: *Cæterum quis ſcit tempus initii numerorum* (unde nimirum computus ſit inchoandus) *ut poſſit finem ejusdem conſtituere?* Quod ipſum quodammodo convenit cum Dnn. Vinarienſium expoſitione, quâ ſpatium illud *de tempore quidem adventûs ultimi ad judicium intelligunt, ſimulq; totalis ruinæ Antichriſti, II. Theſſ. II. 8. verum hâc cum cautelâ, quod ob ignoratum terminum à quo,* (numerandi ſcil. ſit faciendum initium) *ignoretur etiam dies iſte ultimus, ſuo tamen tempore veritatem vaticinii hujus manifeſto comprobaturus. Et quanquam in ſpecie determinari hic nihil prorſus queat, generatim tamen conſtare ſatis arbitrantur, eundem terminum non multum amplius diſtare.* Nec minus ipſe Lutherus loco ſupra alleg. diſertè ſcribit: *Dies hi 1335. nunquam publicè intelligentur, donec impleantur in noviſſimo die, niſi forte Deus Noam aliquem exſuscitarit, qui dies hoſce exactiſſimè ſupputare poſſit.* Si autem initium annorum 1335. diſtinctè ſciri non poteſt, neque initium annorum 1260. qui Antichriſto aſſignantur, ſciri diſtinctè poterit, cum idem utrorumque ſit initium. Quoniam verò

Tu V. D. contendis Prophetam terminum istum triplicem neutiquam ad panolethriam Antichristi significandam assignasse, sed ut ostenderet, per quæ momenta Ecclesiæ sua libertas ab ista tyrannide tandem sit reditura, apprimè scire velim quâ ratione existimes Danielis hanc prophetiam de Regno Antichristi complementum suum jam nactam; neque priorem terminum de fine Regni Antichristiani, nec posteriorem de fine mundi; sed de Casu Antichristi utrumque, secundum magis & minus exaudiendum esse.

CHRISTOPH. *Ut igitur clarius ostendam quo pacto existimem (salvo tamen aliorum judicio,) Danielis hanc Prophetiam de Regno Antichristi complementum suum jam nactam esse; tria illa momenta temporis, quæ apud Prophetam sunt, paulò pressius considerabimus. Unum dicit, post Tempus tempora & dimidium temporis, h.e. post 1260. annos futurum esse. Id judicò tunc evenisse, cum B. Lutherus anno vigesimo superioris seculi à Papatu apertè descivit, & Papæ in Ecclesiam tyrannidem Orbi patefacere, isti q. se opponere eo successu cœpit, quem omnes bo-*

hodie miramur, nobis q̃ de eo gratulamur &c. Incipiet ergò Antichristi ætas circa annum Christi 260. quo tempore primum in Ecclesia Romana schisma fuit consequendi Episcopatûs causa, inter Cornelium alioqui orthodoxum sanctumq̃ Martyrem, & Novatianum, de Martyrio quidem gloriantem, sed Novato (qui Romam venit Volusiano secundum & Maximo Coss. ducentesimis & quinquagesimis nonis, post natum Christum, juxta Cassiodorum) ideò adstipulantem, quia Cornelium sibi in Episcopatu prælatũ oderat, atq̃ ideò facta secessione se quoq̃ pro Romano Episcopo inter suas assecias gerentem. Conveniens enim erat, ut Antichristus in primo Romanæ Ecclesiæ schismate nasceretur, quandoquidem in omni puerperio matricem scindi necesse est. Diatr. p. 63.

THEOPH. Quantumvis non uno, sed pluribus planeque diversis modis ætas Antichristi à Doctoribus variis fuerit tradita, aliis initia ejus cum David. Chytræo (in Comm. ad cap. VI. Apoc.) ad ipsum Gregorium Magnum; aliis præeunte Musculo ad tempora Bernhardi; aliis cum H. Bullingero

ad annum Domini 763. referentibus: plerique tamen orthodoxi cum B Luthero, Centuriat. Magdeburg. & Dnn. Paraphrastis Vinariensibus hactenus consentienter docuêre, *Regnum Antichristi ROMANO IMPERIO VETERE CESSANTE cœpisse*; Etenim cur durante Imperio Romano illud erigi & firmari haud posset, causa erat, quod in Orbe Romano id constituendum, & in ejus metropoli Româ sedem suam habiturum erat, uti Apostolus II. Thess. II. 6. subinnuit his verbis: *Nunc quid obstet nostis, ut is suo tempore retegatur*. Neque enim duo Imperia summa, quale tum Romanum fuit, & quale Antichristi Regnum suo tempore futurum erat, simul in una Roma subsistere poterant, ut nisi illud esset prius abolitum, hoc ibi erigi & subsistere non posset. Quam in rem scitè Chrysostomus Homil. IV. in II. Thess. II postquam dixerat; *quando è medio sublatum fuerit Romanum Imperium, tunc veniet ille*, subjicit: *Et non absre, donec enim illius Imperii timor fuerit, nemo Antichristo statim subdetur, quando verò istud fuerit destructum Imperium, VACANTEM IMPERII PRINCIPATUM INVADET,*

DET, & tentabit ad se rapere & hominum & Dei Imperium Cum igitur dicente Apostolo Imperium R. vetus (id enim per τὸ κατέχων notari, & detentorem ipsum [τὸν κατέχοντα] Cæsarem quemcunq; in prisca illa amplitudine & majestate Augustum esse, vetustissimorum Patrum sententia est) obstiterit, quo minus Antichristus caput efferre & Romæ sedem Regni constituere potuerit, eapropter ætas Regni Antichr. non circa annũ 250. sed tunc incipiet, cum Imperium illud vetus, quod novo erigendo obstabat, sublatum fuisset, porrigetque se usque ad Christi adventum glorioſum. II. Thess. II. 8. Singularem verò observationem meretur, quod in fatali ista Imperii veteris ruinâ Romanæ Urbis Episcopus fuerit LEO, Magnus ob ingentem quam suo tempore Romanæ Sedi conciliavit authoritatem cognominatus. Hic ad Episcopatum assumptus, cum antea Sixti antecessoris sui Orator & Consiliarius fuisset, eumque contra accusatores in judicio defendisset, nec minus gliscente controversia Eutychiana, Sedis Romanæ authoritatem magnifieri deprehendisset, dominatum istum in reliquias Ecclesias, blandientium vocibus nimis

mis elatus parturire cepit, eâq; propter in id summo ſtudio & calliditate incubuit, ut Romanam Sedem tanquam ſupremum totius Chriſtiani Orbis Tribunal conſtitueret, idq; non egit citando Conciliorum decreta, more anteceſſorum, quæ ſatis eſſe ſciebat confutata, ſed ipſum urgendo Jus divinum, quo Petro principatum ſuper Apoſtolos, ac conſequenter Romanis Pontificibus ſummam in omnes Epiſcopos poteſtatem ſancitam eſſe contendebat. Audiamus Anomi illius exorientis magniloquentiam in Chalcedonenſi Concilio omnium frequentiſſimo; ſic ibi declamant (apud Evagrium Lib. II. c. 4.) Leonis legati: Ὁ ἁγιώτατος καὶ μακαριώτατος Ἀρχιεπίσκοπος τῆς μεγάλης καὶ πρεσβυτέρας Ῥώμης Λέων, διὰ ἡμῶν καὶ τῆς παρούσης συνόδου, μετὰ τῆς τριομακαρίστου καὶ παυεύφήμου Ἀποστόλου Πέτρου, ὅς ἐστι πέτρα καὶ κρηπὶς τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, καὶ τῆς Ὀρθοδόξου πίστεως θεμέλιον, ἐγύμνωσεν αὐτὸν (Διόσκορον) τοῦτο Ἐπισκοπικῆς ἀξιώματος, καὶ πάσης ἱερατικῆς ἠλλοτρίωσεν ἐνεργείας. Audis Doctiſſime Vir coram univerſo Concilio prædicari illud Romani Pontificatûs principium; Petrum eſſe Petram, baſin & fundamentum totius Eccleſiæ, ipſiusque fidei, & Pa-

Papam Romanum esse sanctissimum & beatissimum cui Petrus in suis sententiis ferendis semper adsit, eaque potestate illâ sua ficitia corroboret. Quin statim inistio egressuros se Synodo minantur Legati Paschasianus & Lucentius Episcopi, nisi Dioscorus suo loco quem occupaverat, ejiciatur. Quærente autem Senatu, quænam illi crimina objicerentur, edisserunt oportere ipsum reddere rationem proprii judicii, eò quod personam Judicis iniquè susceperit, absque Romani Pontificis permissu, Evag. Lib. II. 18. Vides igitur Leonem supremam sibi asserere potestatem Ecclesiasticam, sine cujus indultu Alexandrinus Episcopus nihil judicare debuerit, eamque in tanto Concilio jactare. Sed plura audies: Cum Synodus illa Sessu XIV. canonem condidisset, quo duo statuerentur primatus in Ecclesia, unus Episcopi Romani per Occidentem, alter Constantinopolitani per Orientem, impugnant illam constitutionem Leonis Legati, & unicum esse primatum debere contendunt, eumque penes Romanam Ecclesiam, damnant subscriptiones

ejus canonis, & coactas esse dicunt. Negantibus Episcopis, seq; ultrò & sponte subscripsisse profitentibus, decernunt Synodi Judices, *primatum quidem & honorem præcipuum relinquendum esse Romano Episcopo; attamen & Constantinopolitano primatui nonnihil deferendum, quia & fasciis Imperii ea urbs ornata, & nova Roma dicta sit, ut potestatem habeat ordinandi metropolitanos in Asianâ, Ponticâ, & Thraciâ Diœcesibus, ita tamen ut metropolitanis cujuscunq; provinciæ ordinare Episcopos liceat.* Atque ex eo tempore perpetuæ inter Romanos & Græcos super ambitione mutua lites, in quâ vicit tandem Romanus Bonifacius, magna cum contentione obtinens titulum *Oecumenici* à Phoca Cæsaricidâ Anno Domini DCVI. quo sc. (juxta B. utherum) Papa in spiritualibus (sicuti seculo XI. tempore Gregorii VII. etiam in terrenis) regnare cœpit. Porrò nullam adeò validam deprehendo rationem, curætas Antichristi ab illo ipso schismate Novatiano, nec alio sive vetustiori sive recentiori sit inchoanda. Post Apostolorum sane decessum non diu otiatam fuisse ambitionem, quin primis vestigiis insisteret, contro-

troversum de paschate schisma abunde testatur, ubi cum diversæ Synodi in diversas partes abiissent, & Orientales Episcopi observatione perpetua (quam ipsi Apostolo Johanni ferebant acceptam) innixi, causam suam per epistolam Polycratis Ephesini defendissent; tum *Victor, qui* (verba Eusebii Lib. V. c. 24. adscribo) *tunc Romæ Ecclesiæ præerat, tótius Asiæ παροικίας Ecclesias cum aliis finitimis, tanquam* ἑτεροδόξους, *simul omnes* συλλιτεύς, *per literas criminatur, & traducit, omnesq; fratres eam incolentes regionem, prorsus à communione excludendos edicit.* At subjungit Eusebius: *Ista cæteris omnibus parum placebant Episcopis*, hæc nempe Victoris in Asiaticas Ecclesias protervia. Etsi verò (annotante H. Valesio ad h.l. p.m. 105.) multi dubitarint, utrum Victor Papa Ecclesias Asiæ à communione suâ reverà sejunxerit, an verò id tantùm conatus atque interminatus fuerit; attamen Socrates Lib. V. c. 22. Eusebii verba ita accepit, quasi Victor Asianos à communione sua planè separaverit. Quæro igitur cur à posteriori potius illo Novatiano, quam ab hoc priori schismate ætatem Antichristi putes esse inchoandam? Aut cur non

à Samosateniano, post Novatianum illud orto? Nec minus supputationem inchoare potuisses ab anno trecentesimo, quippe quo Constantinus ille M. Urbem Romam Imperii sedem Papæ arbitrio permisit, unde aperta & patefacta dominio Papali via est, sicq; in annum incidisses millesimum quingentesimum sexagesimum, in quo juxta vaticinium Apocalypticum decima Urbis Papalis (nempem proventuum, reddituum Cœnobiorum &c.) pars in Germania Anglia Scotia & aliis terris cecidit. Et sanè si per *populi Sancti dispersionem* persecutiones Gentilium intelligi debeant, quæ per Constantinum M. cessarunt, longè rectius post ejus demum tempora ætas Antichristi erit inchoanda. Tunc enim primum Episcopos Romanos cœpisse dominatum Spiritualem in Ecclesiam affectare, vel ipsum Julii I. Papæ exemplum à Te (Diatr. p. 68.) adductum abundè testatur.

CHRISTOPH. *Utiq; non ante regnare cœpit Antichristus, quam post pacem à Constantino Ecclesiæ datam, & quidem ab initio satis adhuc moderatè, ut vix novæ dominationis exordia sentiri, quamvis à cordatis possent. Sed aliud est regnare, aliud nasci, natus*

natus enim est antequam regnaret. Sic autem dicit Propheta: postquam dispersio manus Sancti populi finem habebit, hæc omnia (videlicet quæ prædixerat) fient. at nihil de Nativitate Antichristi, sed tantum de tyrannide ibi prædictum legimus. Diatr. p. 69.

THEOPH. Quamvis Antichristi ætatem ab ejus tyrannide non malè distinxeris, antea tamen ostendi, hoc tuum effatum (quo *nihil de Nativitate Antichristi, sed tantum de tyrannide ibi prædictum fuisse pronuncias*) haud ita bene cum Tua de Numeris istis Propheticis sententia posse conciliari. Quid autem obsecro vetat, quo minus post restitutam demum pacem Ecclesiæ per Constantinum M. & remotum impedimentum, II. Thess. II. 6. ἄνομον illum natum dicamus? neque enim eo statim tempore regnare cœpit, sed pedetentim ad se traxit supremam potestatem, primò quidem in Ecclesiasticis, postea etiam in politicis. Cum enim neutram simul & semel ad se trahere posset, obnitentibus illic Ecclesiis Orientalibus; hic Imperatoribus Regibus & Principibus, per cuniculos res multis annis agenda fuit, ut tandem aliquando quod affectabat, consequeretur.

Sed

Sed tempus est, ut paulo accuratius novi istius calculi Scrutinium instituam, atq; demonstrem, ætatem Antichristi nec ab anno 260. posse inchoari, nec à primo illo Ecclesiæ Rom. schismate usq; ad annum 1520. accuratè compleri. Siquidem sententiæ huic plane adversatur I. Schismatis istius TEMPUS, II. Schismatis AUTHOR, III. Schismatis fons & ORIGO. Primum seu schismatis TEMPUS quod attinet, certum est Novatiani Antipapæ contra Cornelium Episcopum Romanum schisma anno 254. minimè verò (quemadmodum Tu *asseveranter* scribis) ducentesimo sexagesimo contigisse, hoc enim anno non solùm Cornelius dudum in vivis esse desierat, sed quartus ab eo Papa nempe Sixtus II. post Lucium & Stephanum Episcopos Sedem Romanam occupaverat, conf. Baron. & Spond. in Annal. Osiand. Cent. III. pag. 63. Anastas. Luitprandum & Plat. in vit. Pont. Petav. Ration. Temp. p. m. 235. & Alsted. Thes. Chronol. p. 293 imò juxta Chronologiam Joh. Funcci, & anonymi cujusdam cum Historia Plat. Venetiis 1562. ed. Cornelius Papa jam anno ducentesimo quinquagesimo secundo vitam mar-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 6;Leibn. Marg. 72, [176] - 156
PUBLIC DOMAIN

martyrio finiit. Cum verò indubia reliquorum authorum fide conſtet, ſchiſma illud neutiquam anno 260. ſed 254. contigiſſe, Corneliumque anno ſequenti obiiſſe, liquidò apparet, neque ætatem Antichriſti ab anno 260. eſſe inchoandam, nec dies 1260. à primo illo ſchiſmate usque ad annum 1520. accuratè compleri. Si enim annis 254. adjicias 1260. emerget annus milleſimus quingenteſimus decimus quartus, quo Lutherus de reformanda Eccleſia nondum cogitavit, multo minus Papæ poteſtatem Tyrannicam appellavit.

Secundò, quo minus calculus ille Tuus iniri poſſit obſtat Schiſmatis AUTHOR, qui Novatianus Hæreticus, neutiquam Papa fuit Cornelius; in quo ne leviſſimum quidem Antichriſti ſignum ſive indicium reperies, cum is in Epiſt. ad Fabium Antiocheni num nullum ſibi primatum ſuper alias Eccleſias arrogaverit, *ſed* (verba Celeb. Dn. D. Danhavveri ex Chriſteid. pag. 483. adſcribo) *pro fide quod VERI Epiſcopi* (non Antichriſtiani) *eſt, laboraverit ſtrenuè, & ut errores Novatiani non inficerent ſuam plebem ſategerit, ipſum tamen Novatianum ut à dignitate*

tate Episcopali quam Romæ exercendam susceperat dejiceretur, non ita vehementer sit persecutus, neq; de illo ut cathedræ æmulo maltum sollicitus fuerit; addo quod Novati hæresiarchæ damnationem in Epist. alleg. non sibi duntaxat, sed aliis quoq; Episcopis Romæ constitutis adscripserit, imò Decii jussu (quod Martem adorare recusaret) vitam martyrio finierit anno 255. *Quia enim tunc* (ita laud. Danhavver. l. alleg.) *Romana sedes non erat portus quietis & otii divitiarum & deliciarum plenus, sed navis jactata, persecutionum procellis obsessa, cujus nautæ necē martyriumq; subinde expectabat, hinc certè Episcopi eorum temporum Romani non ita obnixè de sua propria dignitate & existimatione, ac pro sue eximio illo Papatu laborabant, ut pro eo acriter putarent esse decertandum, aut nimium angerentur, ut in solio soli sederent, nec haberent honoris socium aut competitorem.* Magnam etiam observationem merentur verba Cypriani de eod. Papa Cornelio: *Episcopatum nec postulavit, nec voluit, nec vi (ut cæteri quos arrogantiæ & superbiæ suæ tumor inflat) invasit, sed quietus sed modestus, & quales esse consueverunt qui ad hunc locum divini-*

vinitus eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ suæ, non ut quidam vim fecit ut Episcopus fieret, sed ipse vim passus est, ut Episcopatum coactus exciperet. Quomodo igitur ætas Antichristi à laudato adeò Viro, sanctoque martyre *Cornelio* poterit inchoari? Cùm nullum in eo Antichristi vestigium apparuerit, neque ansam schismati ullo modo dederit; sed potius Novatianus presbyter, invidiæ stimulis agitatus, adversus electum & vocatum Cornelium agere ceperat, ac quosdam primò è confessoribus (qui nupera persecutione vincula sustinuissent) in partes suas traxerat, docente Cypriano Epist. 51. & 52. Feliciter autem accidit ut absente Novatiano seducti confessores, cognito dolo & malitiâ hominis ad Ecclesiam Catholicam sponte sint reversi, eorumque exemplo alii in Africa seducti errorem suum deposuerint. Neutiquam ergo Primus in Romana sede Antichristus Novatianus habebitur φιλοπρωτεία laborans, (quemadmodum Tu Diatr. pag. 65. contendis) cum sedem illam Novatianus verè nunquam occupaverit, nec ullo unquam tempore inter Episcopos Romanos locatus fuerit.

Quod-

Quod si verò primus in Romana sede Antichristus sit dicendus Novatianus hæreticus, supra Cornelium se efferens, (quamvis ad S. Dionysium Episcopum Alexandrinum se à fratribus ad Episcopatum capessendum vi quâdam compulsum scripserit) sponte sua sequeretur, non Cornelii Episcopi Romani, sed Novatiani pseud-episcopi successores, nec Papas sed Antipapas solos Antichristianos dicendos esse atque nuncupandos, eò quod post factam ab Ecclesia Romana nondum Apostatica excommunicationem Novatiani omnes à cœtu fidelium prorsus segregati fuerint.

Si deniq; Tertiò ipsam Schismatis ORIGINEM FONTEMq; accuratius consideremus, illud non tam propter Papalem sedem occupandam, quam hæresin Novatianam in Urbe stabiliendam exortum esse deprehendimus. Quamvis enim Novatianus (teste Cornelio Papa apud Euseb.) jam pridem in Episcopatu petendo ambitione incensus esset, & temerariam hanc effrœnatamq; cupiditatem diu occultasset, Cornelius tamen in locum S. Fabriani jam erat suffectus, cũ Novatus (post turbas in Ecclesia Africanâ exci-

excitatas) Romam profectus, cum Novatiano illo aliâs non indocto contra Cornelium conspirasset, & sicuti in Africâ cum Felicissimo (infelicissimo verius) S. Cypriano exagitarat, quod lapsos ante pœnitentiam legitimè actam in communionem non reciperet; ita contra mutatis jam partibus Romæ cum Novatiano ideò Cornelium oppugnavit, quod ille lapsos pœnitentia functos admitteret, cumque ambo contra receptionem lapsorum tam speciosè disputarent, ut multos Romanæ Ecclesiæ Presbyteros adhuc in carcere positos in sententiam suam pertraherent, & Cornelium ipso libello maculatum esse, atque cum Idololatris ante actam pœnitentiam communicasse criminarentur, eò audaciæ Novatianus processit, ut qui antea nunquam se episcopatum ambiisse gravissimo juramento suis sæpe confirmarat, à tribus Italiæ Episcopis, hominibus agrestibus & imperitis (quos ut Romam tanquam ad litem inter se & Cornelium una cum aliis Episcopis dirimendam venirent, fraudulenter induxerat) pseud-episcopum Romanum se creari curaret, & ad Ecclesias totius Orbis scriberet, ne eos qui idolis sacrificassent

ad SS. mysteria admitterent ; ad pœnitentiam quidem illos hortandos dicens, sed remissionem Deo permittendam, qui potestatem & authoritatem peccata remittendi haberet, contra autem Cornelius scribebat spem veniæ etiam illis superesse, qui post baptismum peccassent, unde non levis perturbatio in tota Ecclesia est coorta; Et quidem quomodo Novatianus episcopus factus sit ipse Cornelius Epist. ad Fab. Antioch. apud Euseb. Lib. VI. cap. 43. pluribus exponit, atque sub finem quoddam facinus subjungit omnium quæ ab illo commissa sunt longè gravissimum, ex quo satis apparet Novatianum utiq; ad schisma suum constabiliendum Episcopatum Romanum suscepisse. *Cum fecisset* (ita Cornelius ad Fab. scribit) *oblationes & singulis partem distribueret, hoc etiam adjicit & jurare miseros homines, pro eo quod benedicere debeat, cogit, utraq; manu sua manus accipientis prehendens nec dimittens donec ita jurarent : ipsis enim ejus verbis utar : Jura mihi per corpus & sanguinem Domini nostri J. C. te nunquam me deserturum & rediturum ad Cornelium, & miser homo nõ ante gustat, quam se illi ita devovisset,* (vel ut H. Valesius in annot.

not. p. 136. cum Georg. Syncello legit: *Atq; ille miser non prius gustare sinitur, quam semetipse diris devoverit,) & proeo, quod dum panem illum accipit, dicendum erat: AMEN, se ad Cornelium amplius non rediturum affirmasset.* Hæc ille. Nec minus probè notandum, quod idem Cornelius ad omnes in toto Orbe fideles scribens Novatianum RECTÆ FIDEI & SANCTÆ DOCTRINÆ, *non verò sedis Romanæ æmulum* appellaverit. Arbitror ex his conspicuum esse, ætatem Antichristi à primo illo Eccles. Romanæ schismate neutiquam posse inchoari, cum illud nec anno 260. contigerit, neq; Cornelium Episcopum sed Novatianum hæreticum à communione fidelium segregatum authorem habuerit, nec deniq; tam propter Papalem sedem consequendam, quam dogma Novatianum stabiliendum ortum, fuerit. Palmarium verò adversus novum istum calculum ipse Revelator Angelus argumentum suppeditat, dum annos illos propheticos v. 11. à *remotione Tamid*, i.e. suppressione cultus Sacri in Dei verbo præscripti, seu (juxta Dnn. Vinar.) *extinctione meriti ac passionis Christi non uno modo in Pap. facta*,

inchoandos esse disertè pronunciavit; cùm certissimum sit, remotionem illam seu abolitionem jugis sacrificii circa annum Christi 260. (*quo tempore Romana Ecclesia*, dicente D. Danhavver. l.a *navis jactata erat, persecutionum procellis obsessa, &c.*) neutiquam fadam, sed longo post tempore successivè in Ecclesiam introductam fuisse. Vides igitur ipsum textum Sacrum ejusque clavem (quæ experientia eventus est) calculo huic prorsus adversari, satisq; innuere, annos propheticos à Christi CCLX. neutiquam esse incipiendos. Licet verò corruente primo facileq; præcipuo sententiæ Tuæ fundamento, primoque temporis evanescente momento, eâdem via cætera quoque vergant ad interitum; haud pigebit tamen de iisdem Te porrò audire differentem.

CHRISTOPH. *Alter terminus post annum trigesimum à momento primo, incidit in annum 1550. quo exacto Antichristus se victum fassus est. Hactenus enim adversus Evangelium restitutum quâ vi quâ dolo eâ spe pugnaverat, ut recuperari posse amissa non desperaret,* & post alia: *Hoc itaq; momentum illud est alterum, quod ab Antichristo nato, sive uti*

Pro-

Propheta loquitur, à prima introductione desolationis abominabilis., milleſimo ducenteſimo & nonageſimo anno ſecuturum erat, quo Antichriſtus qui 30. annis ante validè oppugnari cœpit, eatenus ſe victum faſſurus erat, ut deſperata reſtitutione in priſtinæ amplitudinis locum, regni ſui terminos contrahi pateretur. Sed non ideò tamen hoc adhuc tempore beatos audet Angelus Eccleſiæ cives prædicare. Quanto enim magis Anomus ille ſe victum ſenſit, deq; Regni terminis reparandis deſperavit, tanto majori cura quod reliquum erat, quod q; nutabat conſervare conatus eſt. Hinc crudeliſſimæ ejus inſtinctu perſecutiones, & plusquam Diocletianæ in vicinis Germaniæ Regionibus, Belgio, Gallia, Anglia, in quibus ſola ſæpe de religione mutata levis ſuſpicio mortem meruit &c. Hoc ſolum obſervo quod illa omnis perſecutio intra 45. annos à Propheta definitos, deferbuerit, ſic, ut poſt annum 1595. nemo neq; in Germania neq; in Gallia, neq; Belgio, neq; Anglia neq; in ipſa Italia Hiſpania q; ſolius religionis reus fuerit, eaq; cauſa de vita periclitarit. Diatr. p. 71. 73. & 74.

THEOPH. Tantum abeſt ut Papa exacto anno 1550. ullo modo ſe victum ſit faſ-

ſus, ut de adversâ potius Proteſtantium fortunâ non ſolum ſibi valdè gratulatus, verum etiam triumphum (licet ante victoriam) meditatus fuerit. Et ſane ſi unquam triſtem atque miſeram Res Evangelica faciem, certè exacto anno 1550. habuit; Hoc enim tempore Carolus Proteſtantium victor & Saxonem cum Landgravio captivos detinuit, & contra Religionis Evangelicæ ſectatores primum, idque atrociſſimum edictum in Belgio promulgavit, imò doctrinam interimiſticam (orthodoxæ fidei jugulum petentem) tanto impetu Statibus Imperii, Civitatibus præſertim, obtrudere cepit, ut penè de toto Religionis negotio actum eſſe videretur, unde etiam (ut alia nunc prætream) accidit, *ut Argentorati* illo ipſo anno milleſimo quingenteſimo & quinquageſimo, in Templis, quæ Senatus Epiſcopo per transactionem conceſſerat, *denuo miſſificatum* fuerit. Anno autem ſequenti quinquageſimo primo Lutetiæ quoq; evulgabatur longè graviſſimum in Lutheranos edictum, quod ſuperiorum annorum ejus generis decreta partim confirmabat, partim (ubi non ſatis accuratè ſcripta videbantur) exacuebat, deniq; ad ſummam ſeveritatem nihil reli-

reliqui faciebat. Cæterum quo authore obſecro, aut teſtimonio probabis Papam exacto anno 1550. ſe VICTUM FASSUM fuiſſe. Licet enim iſto tempore ſe neq; vi neq; ſuaſionibus quicquam profecturum deprehenderit, nec cum Proteſtantibus tanquam deſperatis actionem inſtituere voluerit, non capio tamen quâ ratione propterea Papa ſe diſertis verbis victum *faſſus* fuerit. Profectò vel ſola deteſtandæ Inquiſitionis Hiſpanicæ officia (quibus Te ipſo aſſerente Diatr. p. 76.) è *toto* HiſpaniæRegno adeò extirpati ſunt veritatis cultores, ut nulli amplius ſupereſſent qui Evangelicæ lucis ullum radium iſti populo inferre ſtuderent) haud obſcurè contrarium innuere videntur. Præterea, cum exacto anno 1550. nempe milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo horrenda illa Pariſienſis laniena contigiſſet, tantum abeſt ut Papa ſe victum ſit faſſus, ut potius nuntio ejus rei percepto, totus propemodum in gaudia ſolutus, haud vanam adeò ſpem de revocanda ſub jugum pontificium univerſa Gallia conceperit. Nec Galliam ſolum, verum cæteras etiam Orbis Europæi Provincias præſertim Germaniam ad obedientiam papalem redituram (licet falsò) ſibi perſuaſerat,

ſcilicet cum vidiſſet Mariæ Reginæ auſpiciis Angliam utcunq; (exacto nimirũ anno 1555.) rediiſſe, partim apertè vi coactam, partim multis fallaciis doliſve circumventam. Quare cum Papa audierit Auguſtæ Vindelicorum rurſus comitia celebrari, Joannem Moronum Cardinalem ſelegit, quem eò mitteret legatum, ſuaque de ſubjuganda Germania diu agitata conſilia effectui daret. Verum non ſine ingenti multorum ſtupore poſtea accidit, ut ille ipſe Moronus Card. Epiſcopus Mutinenſis, inque Concilio Trid. Sedis (uti vocatur) Apoſtolicæ legatus, de Lutheraniſmo ipſe accuſatus & in carcerem conjectus fuerit. Ad cujus accuſationis capita cum pauci hactenus pervenire potuerint, non indigna putavi quæ hâc occaſione pluribus innoteſcerent. Etenim à Fiſci procuratore Card. Morono objiciebatur:

I. Quod tenuerit & crediderit articulum de Juſtificatione eſſe retractandum, tam ante quam poſt determinationem Concilii Tridentini.

II. Quod cum eſſet in Conc. Trident. Vicario ſuo Mutinenſi ſcripſerit, ut faceret intimare populis, quod tantummodo confidere debeant in ſanguine Chriſti.

III. Quod

III. Quod se tenere & credere ostenderit Sacerdotem non absolvere pœnitentem, sed tantum declarare absolutum.

IV. Quod Pontifici non esse parendum existimaverit uti Vicario Christi, sed tantummodo tanquam Principi temporali.

V. Quod se credere demonstraverit opera nostra quantumcunq; in gratia Dei facta, non esse meritoria, quinimò quod ipse propter quantumvis bonum opus se infernum mereri affirmaverit.

VI. Quod tenuerit Sanctos non esse invocandos.

VII. Quod concionatorẽ quendam merita & invocationem Sanctorum prædicantem redarguerit, illiq́ue mandaverit, ut posthac Christum ejusque Evangelium, non tot merita & Sanctos prædicaret.

VIII. Quod fratres quosdam religiosos, in Antiphona Salve Regina &c. cantantes: Eja ergo advocata nostra, valde reprehenderit.

IX. Quod cum religioso quodam de adoratione S. Crucis locutus, contra eam nonnulla hæretica dixerit.

X. Quod Lutheranum quendam concio-

natorem hortatus sit ut pergeret prædicare de Justificatione, invocatione Sanctorum, prædestinatione & aliis hujusmodi articulis ad mentem Lutheri, excepto articulo S. Eucharistiæ.

XI. Quod libellum cui titulus: Beneficium Christi (Italicè mira ut ajunt pietate & suavitate conscriptum, & ad instruendos rudiores in articulo de Justificatione valde idoneum) Bibliopolæ cuidam hæretico distribuendum curaverit, mandans ut quibuscunq; posset eum venderet, pauperibus verò dono traderet, quoniam ipse pretium persolvere constituerit.

XII. Quod hæreticos aut de hæresi suspectos in domo sua tenuerit, iis Bononiæ præcipuè faverit, & à Mutinensibus Lutheranis veniam quodammodo postulaverit, quod ipsos aliàs fuisset persecutus.

Atq; hi sunt articuli Card. Morono de Lutheranismo accusato, à Fisci procuratore nomine officii Sacerrimæ inquisitionis objecti, & anno superioris seculi LVIII. cum scholiis quibusdam in lucem editi; An verò Moronus postea in carcere se ita sensisse aut dixisse affirmaverit, inq; veritate agnitâ perseveraverit?

raverit, vel an Spiritui S. restiterit? non satis constat, præterquam quod Petro Suave (Lib. V. Hist. T. C. p. m. 376.) teste, *mortuo Paulo IV. Pontifice, Moronus ille ob hæresis suspicionem in custodiam traditus, & periculo capitis affinis, ex Hadriani mole eductus, & libertati restitutus fuerit.* Sanè cum ad Papatum postea anhelaverit, nec procul ab eo abfuerit, facilius crederem, magnas adeò spinas verbum in eo seminatum suffocasse. Facilè autem hinc quoq; colligere licet Papam exacto anno 1550. se neutiquam victum fassum fuisse, quod ne summis quidem Ecclesiæ Cardinalibus pepercerit, nec (post relapsam Angliam) de subjuganda Germania eo tempore desperaverit. Id verò etiam inde discas, quod Pius IV. Pontifex anno superioris seculi sexagesimo primo Protestantes ad Concilium Tridentinum restauratum denuò per diploma ac Legatos invitavarit, & ad Germaniæ Principes, Thuano teste, brevia miserit, cum inscriptione, *Dilecto Filio, Nobili Viro, Duci aut Comiti.* Sed Principes illa non resignata Legatis remisêre, cum responso, *Nullam se jurisdictionẽ Pontif. agnoscere, neq; verò opus esse, ut Pontifici quid suæ volun-*

voluntatis sit in Concilii negotio, cujus indicendi aut habendi potestatem ipse non habeat, aperiant. Daniæ Rex non dissimiliter iis respondit, *nihil parenti suo Christiano, nihil sibi unquam cum Pontifice negotii intercessisse, nec proinde mandata quæ ab eo haberent, cognoscendi cupidum esse.* Elisabetha autem Regina Legatum è Belgio in Insulam trajicere prohibuit. Plura ejus rei documenta dare possem, verum ne nimis excrescat nostra collatio, potius ostendere conabor, non omnem persecutionem post annum millesimum quingentesimum nonagesimum quintum (sicuti Tu Diatr. p. 74. contendis) derferbuisse, nec eapropter omnes Evangelii confessores a illo tempore beatos ab Angelo prædicatos fuisse. Certum namq; est Ludovicum XIII. Regem Galliæ hoc ipso demum seculo à Gregorio XV. excitatum, magisque à Dominico Jesu Maria Monacho Franciscano Hispano (qui & Pragensis prælii tuba fuerat) incensum, Hugonotas (quorum ut & Tellinensium, Hibernorum, aliorumque Reformatorum ideò mentionem facio, ut exinde perspicias quosdam imò plurimos, post annum 1595. in Gallia non minus quam Britan-

tannia Religionis reos de vita periclitasse, religionis causa bello petiisse, urbes concessas ab Henrico patre occupasse, loca varia duriter tractasse, Rupellam præsertim ultra annum obsidione gravissima pressisse, deniquè post urbē captam, & plurimus homines fame extinctos, multa in religione mutasse, plurima ademisse. Gratulatus est Regi de hac expugnatione Urbanus VIII. gratiasve datis literis egit, in iis inter alia: *Vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum, videat peccator & irascatur, & Synagoga Satanæ contabescat.* Huic insolenti gratulationi se publico scripto in Anglia opposuit Josephus Hallus Episcopus Exoniensis, *Audi* (inquit) *Pontifex Urbane, quod brevi pro tremendo Christi Tribunali exaudies pallidus. Pastorem Christiani gregis parum decent hæ sanguineæ literæ! Tune ut ad arma tristis præco conclames? Tune ut Christianos Principes nimio quam plenos cruoris ad profligationem suorum clademq; horrendam acriter instiges? Ideóne Tibi creditæ claves, ut ferratas belli portas eburneasq; Ditis inferni aperires? Euge Petri umbra, numquid hi Tibi Malchi videntur, quibus dum aures præcidere voluisti, levi er-*

rore

rore in guttura incidisti ? aut nunquid de quadrupedibus hisce in Gallia stabulantibus, dictum Tibi pridem cœlitus, OCCIDE & manduca ? Quibus etiam verbis Baronius Cardin. Pontificem circa annum 1606. compellare, & adversus excommunicatos Venetos concitare haud dubitavit: *Surge* (scribens) *Petre MACTA & manduca!* Nec in ipsa Hispania propterea desiit persecutio (ut Tu ipse scribis) quod mitiores facti sint hostes Evangelii inquisitionem omitterent, sed quod diligentia Philippi II. adeò extirpati sint Veritatis cultores, alioqui pauci numero, ut nulli amplius supererssent, qui Evangelicæ lucis ullum radium isti populo tenebris suis assueto, veritatisq; negligenti inferre studerēt. Anne obsecro Hispani post extinctam veritatis lucem *beati* sunt dicendi ? vel an propterea amœna aut tranquilla Ecclesiæ in Hispania pariter ac Italia facies apparuit, quod nulli amplius in terris istis supersint purioris fidei sectatores ? Sanè si novas hodie ibid. radices agerent, tristis haud dubiè eventus comprobaret persecutionem neutiquam deferbuisse. Cum tempore Urbani VIII. in Hispania orta esset Illuminatorum secta, (quam reformatæ con-

conformem quidam existimant,) non verbi divini gladio, sed vehementissima statim persecutione est impugnata, vis inprimis in Lusitania illata, indeq; multarum familiarum fuga est insecuta, teste Jac. Revio in Hist. Urb. VIII. In Germania etiam anno currentis seculi trigesimo, & primò quidem in Rhætia Reformati ab Hispanis in valle Tellina tyrannicè sub tempus sacrorum oppressi, sine omni sexus vel ætatis discrimine, pulvere tormentario ori indito & accenso sunt interempti, ex omni Austria Pastores Augustanæ Confessionis in exilium acti, omnes pariter Helveticæ Confessionis ex Palatinatu, &c. Porrò in Bohemia & Moravia horribilem illam stragem anno seculi hujus XXI. excepit Religionis Protestantium inhibitio. Pastores templis occlusis Praga, Boleslavia atque aliis locis pulsi, nec clam convenire licuit. In oppidulo prope Kutenbergam festo Nativitatis Christi sacer cœtus à milite immisso oppressus, Sacramenta conculcata, feminæ in ipso templo constupratæ ac spoliatæ. Ut autem proscriptio anno hujus seculi XXIV. solos Pastores concernebat, ita triennio post universali exilio omnes cujuscunq; tandem ordinis vel dignitatis essent,

mul-

mulctabantur, qui sacra Protestantium deserere nollent. Numerata sunt XII. circiter hominum millia, qui exulatum in Germaniam, Poloniam, Hungariam, Belgium, Angliam concesserant. Exulibus aliis Sereniss. Sax. Elect. Johannes Georgius I. glor. mem. in terris suis hospitium inprimis Pirnæ atque Dresdæ, aliis in Polonia Raphael Comes Leslensis Palatinus Belzensis, non tantum ditiones suas, sed portas ipsa atria templaque aperuit. Et quoniam Moravos distantia loci in Poloniam secedere inhibuerat, Georgius Rakocius post Transylvaniæ Princeps in ditione Pauchoviensi & Lednicensi in Ungaria locum miseris concessit, eò itaque tam ex Baronum, Nobilium, plebejorum, quam Ecclesiasticorum ordine innumeri sese receperunt. Et licet in ipsa Polonia Regnum pacem habuerit, Ecclesias tamen Zelotæ in pace vivere non sunt passi. Poznaniæ, Cracoviæ, Lublini templa Evangelicorum solo æquata, aliis in locis sub prætextu fundationis Papalis intentata lite adempta, ita ut ultra XX. hac ratione perierint. Odia eò usq; excreverant, ut non tantum non licitum fuerit vel in privatis ædibus sacra celebrare, sed

ne

ne Paſtoribus intrare, niſi in *discrimen vitæ* agniti ultrò incurrere voluerint. Adierat ſanè illud Poznaniæ anno 36. Joannes Chryſoſtomus Miniſter Bohemus, perfidè ab auriga proditus, à maleferiatis quibusdam raptus, ac in ædes deductus, convicia, verbera, vulnera, naſo etiam truncato, ferre coactus eſt. Tandem cum jam de ponte in fluvium præcipitandus, educendus eſſet, Viri cujusdam Nobilis opera liberatus eſt. Romæ inſuper Urbanus VIII. etſi Legatis in Hiſpaniam, Galliam & Germaniam miſſis, pacem perſuadere verbis conatus ſit, & Legato Hiſpanico in pleno Cardinalium conſeſſu dicere non dubitaverit, *Regem cum ſua tyrannide cauſam eſſe, cur boni Catholici debeant exultare in victoriis hæreticorum*, teſte Revio in Hiſt. Urb. VIII. re ipſa tamen ad bellum; contra Lutheranos gerendum 24000. Imperiales ſingulis menſibus ſe contributurum ſpopondit, conf. Merc. Gallo-Belg. ad annum 1632. Hinc Proteſtantium Eccleſia, ferè omnib. in locis preſſa ingemiſcebat, & ex Bohemia, Moravia, Auſtria, Sileſia, Palatinatuq; ejecta exulabat. Et annon modernus etiam Papa Alexander VII. primo pontificatûs ſui anno, laniena Sabaudica per Hibernos procurata

luculentum argumentum præbuit, omnem persecutionem exacto anno 1595. neutiqnam deferbuisse? Quanta illa fuerit, & quantam crudelitatem exercuerint nequissimi milites, omnibus adhuc notum est & in recenti permanet memoria, evolve si lubet Chron. Wald. cap. VIII. p. 391. seqq. & exhorresces. Truncatos artus, sparsa jecinora, coctum cerebrum, dissectos ventres, elisos gravidarum partus, & si quid præterea miserum luctuque plenum videri potest, ibi compendio invenies. Nec minus in Hibernia hoc seculo misera luctuq; plena se obtulit Christianæ Reip. facies. Ex authentica sane Actorum publicorum fide constat, innumerabilem ibi Christianorum multitudinem primo omnibus bonis spoliatam, post miserè trucidatam fuisse. Pleriq; ferro, multi suspendio, submersione, vivicomburio, in templis, ædibus, aliisq; locis necati; plurimi spirantes adhuc terra defossi, aliqui à canibus dilaniati ac discerpti, lapidibus obruti, alii ferventibus aheneis mersi, nonnulli carbonibus tosti, intestina per posticum extracta, dissecti ventres, confracta funibus intortis crania, brachia & crura comminuta vel abscissa: alii toto corpore cruentati, cum *Nil nisi vulnus* essent, in

suo

ſuo ſanguine enecti & capillitio ſuſpenſi. Nulla in Tigribus illis Hibernis erga miſerrimos fuit commiſeratio; ſed immiſſi porci & canes quod reſtabat carnium deglutientes, finem antis miſeriis impoſuerunt. Aſt quid finem dico? Multi ita ruptis omnibus artubus ut loco ſe movere non poſſent, cum herbarum paſtu vitam in triduum miſerrimè traxiſſent, ab Hibernis ſpectatum & inſultatum venientibus in locum alium ſunt delati, ut diutius inter acerrima tormenta viverent, nec mortem, quam beneficii loco habuiſſent, omnes impetrarent. E trucidatis Chriſtianis quidam nudo corpore aſſeri impoſitus ab Hibernis ad ſingulos hauſtus, ſingulis vulneribus, ſed non penitus in mortem adactis, ita paſſim conſcindebatur, ut continuum vulnus videretur. Quem deinde in fimetum projectum, dolor, fames & injuria aëris extinxit. Plurimi arctiſſima intra ædes & templa cuſtodia concluſi, illis repente ſuccenſis, lamentabiliter perierunt. Multorum plantæ ad lentum ignem toſtæ, alii ſubtus terram ſolo capite prominente defoſſi. Innumeri quibus fides ſanctè data, nihilominus immaniter trucidati; Atq; hinc Thom. Carve Script. Pontif. in Anacephal. H. notanter ſcribit, *operæ pretiũ*

esse considerare, Hiberniã non externis hostibus depopulatam, nõ aliena fraude fuisse direptam, sed ab iis quos optimis jam dudum meritis enutrivit, suis q; uberibus lactavit: Hos verò (inquit) *pectus ejusdem at q; ventrem (ad instar viperæ) copia rerum plurimarum abundans, spernendo pacem, & seditionem inter incolas movendo omnifariam laceraſſe.* Quæ omnia satis innuere videntur, omnem persecutionem exacto anno 1595. neutiquam (ut existimas) deferbuisse, atque *Nos* (dicente Dn. D. Danhavvero l. a. pag. 289.) *persecutionum Antichristianarum finem NONDUM attigisse.* Nunc à Danielis prophetia ad APOCALYPSIN JOHANNÆAM properabimus, disquisituri, utrum ætas Antichristi undecimo illius capite exactè adeò sit definita, ut nobis probè constet unde computationis initium sit faciendum.?

CHRISTOPH. *In Apocalypseos igitur capite undecimo, quod ipsum quo q; generali pronunciato negaveras Antichristo ætatem suam definire, ubi verò ad pronunciati probationem ventum esset, planè omittis; certum est terminum Antichristianæ dominationis post exactum quadragesimum secundum mensem, milleſimum ducenteſium & ſexagaſimum diem,*

diem, & post diem tertium eum semisse (quos omnes numeros eandem annorum 1260. summam habere supra explicavimus,) ita poni, ut his exactis, duo illi testes, qui pridem à bestia ex abysso adscendente victi necatiq; fuerunt, & quibus sepulturæ beneficium negatum erat, vitæ restituti, inq; Cælum assumpti, non amplius à suis hostibus vinci possint. Id quod capite præcedente paulo fusius ostendimus à Daniele quoq; prædictum esse. Diatr. p. 81.

THEOPH. Quandoquidem Apocalypticorum æque ac Propheticorum Numerorum ea apparet obscuritas ut in specie hîc quoq; nihil determinari posse, ex orthodoxis interpretibus plurimi judicaverint; neutiquam tamen Tibi Doctissime Vir, temeritatis crimen propterea impingo, quod exactius & curiosius hæc rimari volueris, eâ spe fretus, Te quoq; haud vituperaturum Theologorum eorum moderationem, qui hîc quoq; ἐπέχειν voluerunt. Quodsi verò vel maximè concederem Apoc. XI. capite terminũ Antichristianæ tyrannidis post quadragesimũ secundum mensem ita poni, ut eo exacto, duo illi testes qui pridem à bestia ex abysso adscendente victi necatique fuerunt, & quibus

sepulturæ beneficium negatum erat, vitæ restituti, inq; cœlum assumpti, non amplius à suis hostibus vinci possint; ex eo tamẽ nondũ nobis certò constat, unde computationis initium sit faciendum, vel à quo anno præcisè Antichristi ætas sit inchoanda. Ut verò magis appareat, nõ meam adeò quam Maximorum & de Ecclesia nostra meritissimorum Virorum hanc esse sententiam, en Tibi denuò verba Dn. D. Gerhardi, Comm. in Apoc. XI. p. 78. ita scribentis: *Si vel maximè ibi tempus determinatum intelligatur, tamen unde computationis initium inchoandum sit, non possumus exactè scire.* Consentit Cel. Dn. D. Kromayerus in suo ad hunc Apoc. locum Comm. p. 240. h.m. *Nos putamus incertos* (hosce terminos,) *illum præsertim à quo numerationis faciendum initium*, adde B. Gesneri verba supra p. 40. all. Quodsi verò de certitudine probabili sit quæstio, præ aliis placet B. Lutheri supputatio, qui distinguens duplex Antichristi Regnum unum Spirituale alterum temporale, ait, prius illud cœpisse Anno Dominii DC VI. quando Pontifex à Phocâ Oecumenici Episcopi titulum impetravit, & caput Ecclesiæ vocatus est, posterius verò post annum Domini millesimum, quando Henricum IV. Imp.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 6;Leibn. Marg. 72, [202] - 182
PUBLIC DOMAIN

Imp. Papa Gregorius VII. depoſuit, ſibiq; ple-
num in Reges & Impp. dominium arrogavit.
Atq; hanc B. Lutheri de ætate Regni Antichr.
ſententiam pleriq; orthodoxarum Eccleſia-
rum Doctores (utpote clariſſimis hiſtoria-
rum monumentis probatam, nec evidenti ab-
ſurditati obnoxiam) ſequuntur. Neq; ta-
men omninò reprehendendam eſſe puto Dn.
D. Philippi Nicolai diligentiam, quâ Lib. II.
de R.C. menſium XLII. rationem ita tradere
conatus eſt, ut teſtium duorum periodum in-
cipiat à contentionibus Damaſi & Urſatii de
ſede Pontificia (de quibus vid. Amm. Marcell.
LXXVII.) & deducit ad annum 1625. quo
Teſtes à beſtia debellandi forẽt & occidendi,
quod tamen benignus Deus hactenus cle-
mentiſſimè avertit. Si autem computationis
illius fundamentum è Cap. XIV. 20. deſum-
tum conſideremus, illud valdè lubricum eſſe
deprehendimus. *Mille enim & ſexcenta ſta-
dia illa* de mille ſexcentis annis exponit me-
ris conjecturis ductus, iisq; adjicit 41. annos
cum dimidio, non alia ex ratione, quam quod
hora meſſis v. 15. veniſſè dicatur, eam verò vi-
geſimã quartam partẽ unius millenarii deſi-
gnare judicat, cũ Moſes & Petrus mille annos
corã Deo ſicut diem unũ eſſe ſcripſerint. Inde

colligit horam (utpote diei naturalis partem vigesimam quartam,) esse annos 41½. atque numerare incipit à baptismo Johannis, tandem periodum illam finiri statuit anno 1670. quo complendam itidem Antichristi tyrannidem, & fortasse venturum Dominum opinatur. Neq; verò intelligo, quo jure Epocham duorum testium faciat annorum 1305. iisque 41½. annos adjiciat, cum ejus nullum è textu suppetat indicium. Ut ut verò non satis feliciter ab illo subductas rationes existimem, studium tamen indagandæ veritatis, nec illi, nec Tibi Doctissime Christophore, nec ulli alii vitio vertere unquam conabor.

CHRISTOPH. *Illud verò in præsens adhuc expediendum restat: An non forte hoc XI. Apocal. capite clades utraq; Hierosolymitana, & S. Urbis conculcatio, ejus q; calamitatis duratio, per hos numeros secundum literam intelligendos, à Propheta describatur? quod Tu visus es asserere. En tua verba: Si loca numerum 1260. exhibentia ad literam interpretemur, ac juxta Ebræorum, Chaldæorum & Græcorum computandi rationem singulis mensibus 30. dies tribuamus, calculus iste optimè cum Hierosolymitanæ cladis tempore congruit; sive*

sive de priori intelligamus sub Vespasiano & Tito, sive de posteriori sub Adriano: Prior quidem S. Civitatis clades (confer. Apoc. XI. 2. & XIII. 1.) illata à Bestia ex abysso adscendente duravit mensibus 42. nimirum ab anno Christi sexagesimo nono seu 13. Regni Neronis, mense Martio, usq; ad annum Vespasiani secundum, Christi autem 72. d. Sept. 8. hoc est tribus annis & sex mensibus, &c. De posteriori verò Sanctæ civitatis clade B. Hier. in cap. IX. Dan. ex sententia Hebræorum ita scribit: Tres anni & sex menses sub Adriano supputantur, quando Hierusalem omninò subversa est, & Judæorum Gens catervatim cæsa, ita ut Judææ quoq; finibus pellerentur. Ita Tu hactenus. Quoquid velis non capio, laudas enim exactam congruentiam, ostendis etiam prophetiam aliam quæ Apocal. XII. 14. legitur &c. Diatr. pag. 83.

THEOPH. Quamprimum istam Diatr. Tuæ partem oculis usurpavi, animum meum cogitatio subiit, an amicè satis mecum egeris & ingenuè? Etenim quid verbis istis velim primò Te ignorare simulas, mox tamen eorum sensum exactè adeo assequeris atque declaras, ut melius vix ipse potuissem. Quem porrò inconstantiæ stigmate

notare non dubitas; eum per omnia sibi constare ostendis his verbis: *Hoc arbitror Te velle dicere: etsi numeri isti apprimè conveniant cum utraq; clade Hierosolymitanâ &c. tamen hâc responsione non opus esse.* Quo genuino meorum verborum sensu stante, omnis evanescit sive imputata contradictio, sive inconstantia, & quam facili negotio mecum conciliari possim, cuilibet clarissimè apparet. Atq; ut de eo Tibi pariter ac aliis eò magis constet, iterum pronuncio, loca ista neutiquam ad literam de Hierosolymitanâ clade sive priori sive posteriori esse intelligenda; quamvis enim præter antiquos quosdam ipse Clemens Alexandrinus Strom. I. dies 1290. ad Tempora excidii Hierosolymitani sub Tito retulerit, certum tamen est (uti rectè monuisti,) Apocalypsin trigesimo ferè post priorem urbis cladem anno, à Johanne demum visam, nec ad literam exponendam esse. Quidsi verò Angelus Apocalypticus cap. XI. v. 2. verbis hisce: *Civitatem sanctam calcabunt mensibus XLII.* respexisset ad Christi de Hierosolyma terrena prædictionem Luc. XXI, 24. *Hierusalem calcabitur à Gentibus, donec impleantur tempora gentium:* Ut igitur Hierosolyma ter-

terrena calcanda, id est vastanda, & subjicienda prædicitur gentilibus, *donec* (quod h.l. non terminum fixum sed continuum denotat, quia pertinget usq; ad mundanam catastrophen,) *impleantur tempora Gentium*; Ita Ecclesia, cujus Hierosolyma terrena typus fuit, Antichristi dominio subjicienda & ab ipso vastanda sit usq; ad glorioſum Salvatoris Christi reditum, ut proin idem hæc locutio Apoc. XI. *civitas sancta calcabitur &c.* innuat, quod Paulina illa II. Thess. II. v. 4. 6. 8. ἀνακάλυψις *ille sedebit in Templo Dei, efferet se adversus omnem qui dicitur Deus aut Numen &c. quem Dominus absumet spiritu oris sui, & illustri adventu suo abolebit.*

CHRISTOPH. *Nunc si placet ad Caput XIII. Apocal. Johannæa properabimus. In quo Tibi largior ultro quadraginta duos menses* (vers. 5.) *non tempus Regni Antichristiani; sed ejus bestiæ significare, quæ Romanum Imperium vetus repræsentat. Nec displicet explicatio Jac. Usseri; L. de Christ. Eccles. success. & statu, cap. 3. septem capita de septem Reipub. Romanæ summis Magistratibus interpretantis, quam Tu quoq; laudas.* Diatr. pag. 89. & seqq.

THEO.

THEOPH. Etsi in Decimi Tertii hujus Cap. explicatione multum quoque à doctis sit laboratum hactenus, haud difficulter tamen ostendi potest, per Bestiam primam ibi descriptam Imperium seu Monarchiam Romam esse intelligendam; quæ Bestiæ Septem capita habenti non tam ideò comparatur, quod Urbs Romana Imperii hujus sedes ac caput in septem fuerit sita montibus; quàm quod in ea Republica non una, ut in prioribus Monarchiis seu maximis Imperiis contigit, regiminis ac gubernationis fuerit forma, præsertim quod ad supremam potestatem attinet, sed variæ, & quidem numero septem. Nec quicquam refert quod Regum nomen non omnes usurparunt, cum res ipsa potius, quæ hîc Regia potestas est, quam nomen sit spectandum. Quanquam & illud observandum, quod ii qui primum hujus Imperii caput constituunt Reges propriè dicti fuerint, unde divinus Spiritus eleganter (licet paulò obscurius) cæteris quoq; capitibus, quæ in primi illius locum successerunt, & potestatem supremam ab eo ad sese devolutam acceperunt, REGUM nomen potuit tribuere. Idem fecit oraculum

lum Delphicum (quod hic à me commemorari minimè incongruum videri debet, cum hoc loco de usu tantum vocis alicujus agatur, ac præterea Viris doctis non sit ignota ridiculi illius Simii, sive mali spiritûs in imitandis divinis ut ritibus ita etiam oraculis nefanda cacozelia,) cum L. Junio Bruto, qui primus post Reges è Civitate Romana pulsos Consul fuit, *Regnum* portendisset. Nam cum is, una cum duobus Tarquinii filiis Delphos esset profectus, consulentibus illis, quinam ex ipsis Romæ post Patrem regnaturus videretur, oraculum respondit, eum regnaturum, qui primus matri dedisset osculum. Quod cum Brutus intellexisset, veluti casu prolapsus, terram communem omnium matrem osculatus est, Tarquinii filiis frustra de matre sua, ubi domum redissent, osculanda cogitantibus. Neuter enim Patri in Regno successit, sed Brutus qui summam in eâ Repub. potestatem à Regibus ad se transtulit, atque adeò Regnum quodammodo est adeptus, licet Rex appellari propriè non posset, cum solus Rempublicam non teneret, nec Regis nomen ve ipse ambiret, (ejus enim è civitate tollendi primus auctor extiterat) vel

ab

ab aliis adipiſceretur, qui odio ipſorum Regum etiam nomen odiſſe cœperant. Ex quo apparet eos etiam Reges nominari impropriè poſſe, qui ſupremam poteſtatem à REGIBUS ad ſe devolutam habeant. Jure igitur meritoq; Tibi Doctiſſ. Vir non diſplicuit iſta Jac. Uſſerii (ſeptem capita de ſeptem Reip. Rom. ſumis Magiſtratibus interpretantis,) explicatio; Ut ſunt I. Reges, qui primum Rom. Imperii caput conſtituunt, rerumq; ſummæ per annos 244. præfuerunt. His II. Conſules ſucceſſerunt, quorum Imperium extenditur per annos 462. incluſis hoc numero iis quoq; annis, quibus Conſulum ſeries atq; Imperium, mutata Reip. formâ, per Decemviros & Tribunos militum conſulari poteſtate fuit interruptum. Decemviri biennio, & paulò amplius Imp. præfuére. Tribuni militum conſulari poteſtate Remp. per annos 43. tenuerunt. Triumviri poſt necem Julii Cæſaris, annos circiter 12. Et de his quinq; capitibus ſeu Regibus ait Johannes, in verbis ſupra citatis: *quinq; Reges ceciderunt*. Eo enim tempore, quo hæc ſunt Johanni divinitus revelata, & ab eo literis conſignata, iſtæ Imperii Romani formæ ceſſarant. Etſi enim Conſules quoq; quot-

quotannis crearentur, tamen pro capitibus Imperii seu Regibus censeri amplius non poterant, cum penes illos nec summa, nec totius Imperii potestas esset. Eorum enim potestas, Principum seu Imperatorum (quorum nutu omnia in Rep. gerebantur,) potentia valdè fuerat imminuta. Quâ de causa Johannes de Sexto Rege, quos Imperatores illos antiquos esse dixi, ait: *Unus est*; seu nunc rerum potitur. Imperatores enim isti, ut alibi indicavi, totum revera Urbis & Orbis Imperium ad se pertractum tum tenebant. Patriciatûs autem propterea nullam mentionem factam fuisse existimo, quod ipsam Regiminis formam haud constituerit, adeoq; peculiari loco numerari vix potuerit; Triumviratus verò licet non satis compositæ Reip. Status fuerit, nihil tamen impedit quo minus singularis dici appellarive possit.

CHRISTOPH. *Cur non Duumviratum quoq; connumeramus, idem enim ille Triumviratus morte Lepidi, mox in Duumviratum degeneravit, Octavio Antonioq; solis Romanum Orbem sorte quasi inter se partitis. Et duos Augustos pari potestate non semel Terrarum Orbis veneratus est.* Diatr. p. 90.

THEO-

THEOPH. Quoniam Duumviratus peculiarem supremæ potestatis formam atq; rationem neutiquam constituit, imò ab illis ipsis qui Triumviratum gesserunt, administratus fuerit, satis apparet, eum cæteris Imperii sive Regiminis modis non facilè esse connumerandum. Neque verò morte Lepidi Triumviratus ille in Duumviratum degeneravit, sed postquam fugato fusoq; Sexto Pompejo comperisset Augustus, M. Lepidum occulta pacta cum Pompejo iniisse, eapropter Lepido bellum intulit: Qui victus atq; ab exercitu suo derelictus, abrogato Triumviratûs honore supplex ab Augusto vitam impetravit, relegatusque in perpetuum; inde Augustus & Antonius excluso Lepido Imperium inter se sunt partiti, ut ille Occidentem, hic verò Orientem occuparet. Et licet postea duos non semel Augustos pari potestate Terrarum Orbis sit veneratus, eo tamen tempore, quo Johanni hæc divinitus sunt revelata, talis Imperii Romani forma nondum venerat, ne dicam (juxta Apoc. XVII. 10) cessarat.

CHRISTOPH. *Malo itaq; septem capita (salvo aliorum judicio) sic numerare, ut*

aut sint 1. Reges cum Interregibus, 2. Consules, 3. Tribuni militum consulari potestate. 4. Decemviri, 5. Dictatores, qui etsi non ordinarium, legitimum tamen Reip. Romanæ caput erant. Et hæc erant quinq; illa capita, quæ ceciderant Apostolorum tempore. 6. Principes, qui plerunq; soli, aliquando cum sociis imperarunt &c. 7. Patriciatus, qui tum nondum venerat, & postquam venit citò desiit. Diatr. pag. 91.

THEOPH. Sicuti cum nemine circa Septem illorum capitum enumerationem longam contentionis ferram reciprocare velim, ita tuam etiam de iis sententiam aliis potius relinquo dijudicandam. Tantum quod Dictatores attinet, eos utiq; à Regum istorum serie excludendos existimo propterea, quod is Magistratus planè extraordinarius fuerit, & certi tantum negotii causa constitutus, quo confecto, ordinaria potestas veluti deliquium aliquod passa vim suam plenè recipiebat. Constituebatur enim Dictator ad aliquod Reipublicæ periculum forte fortuna enatum propulsandum, aut ad aliquod gravius negotium expediendum, quo confecto Imperium cogebatur deponere is, qui susce-

perat, remanente interim consulatu, cui non abrogando, sed potius ad tempus sublevando, inventa esset dictatura; contra quam in cæteris Reipublicæ Romanæ capitibus accidit. Ea enim & ordinaria erant, nec unius tantum alicujus negotii causa suscipiebantur, iisque constitutis, cæteri Magistratus cum summo Imperio abrogabantur. Rectè autem inter Reges istos non recensuisti Pontifices Ethnicos, quia politicum Imperium & suprema Reip. potestas penes illos non fuit. Sed quid de Christianis statuendum, an non & illi inter ista capita collocari merentur?

CHRISTOPH. *Minimè de Pontificibus verum est, quod dicitur ibidem:* Ὅταν ἔλθῃ, ὀλίγον αὐτὸν δεῖ μεῖναι: *cum abunde constet nullum è Summis Romæ Magistratibus Pontificatu diutius durasse.* Diatr. p. 92.

THEOPH. Quomodo ista S. Apocalypseos verba: *cum venerit, oportet eum breve tempus manere*; sint accipienda, etiã intelligi potest. Eatenus enim breve tempus manere oportet Pontifices, quatenus etiam Imp. Romani Caput sunt (quâ de appellatione notari merentur verba Jesuitæ Tanneri in Anat. de-

demonstrat. 5. n. 131. *Dixi ergò* (inquit) *& adhuc dico Pontificem esse Caput IPSIUS ROMANI IMPERII, ac Christianæ Ecclesiæ universæ; addo & amplifico dictum, esse CAPUT ROMANI IMPERATORIS, omniumq; & singulorum Principum Imperii, &c.*) & politiam istam dominatu suo complectuntur, non verò quà Episcopi Romani, hoc enim posteriori modo considerati satis diu duraverunt. Licet verò illud quoq; tempus, quo plenum Urbis Romanæ Imperium ad se pertraxit non videatur esse exiguum: respectivè tamen, ut loquuntur, breve dici potest, scil. si comparetur cum eo tempore, quo Imperatores Urbis Imperium tenuére. Simili fermè ratione præced. Cap. XII. v. 12. dicitur Satanam scire *se breve tempus habere*, non simpliciter sed respectu habito ad desiderium ipsius & humani generis odium, cui exsaturando, quicquid illi temporis ibi concessum dicitur, breve est. Est verò tempus ibi dierum h.e. secundum sermonem propheticum annorum 1260. confer inter se Cap. XVII. 17. & Cap. XIII. 2.4.5.7. itemque Cap. XI. 7.8.9. Imò verò propterea Spiritus Sanctus tempus istud breve futurum asseruisse videtur, ut pios, qui sub durissimo

illo Imperio victuri essent, brevitate temporis tam luctuosi consolaretur, & afflictionum, quibus tunc essent subjiciendi, atrocitatem aliquantum minueret. Quo ferè pacto Apostolus afflictiones suas, sibiq; similium, non tantum breves sed momentaneas etiam vocat, licet eæ si tempus vitæ eorum respicias, haud fuerint breves, sed comparatæ cum æterna gloria prorsus momentaneæ. Nec desunt sane Viri docti, qui eodem planè modo tempus hoc septimi Regis breve dictum putant, quo afflictiones istæ momentaneæ, h.e. respectu futuræ quietis & felicitatis.

CHRSITOPH. *Et Pontifices quidem rectius Caput meretricis Bestiæ inequitantis quam Caput genuinum bestiæ dixeris.* Diatr. p 92.

THEOPH. At quomodo insederunt Imperio Romano sub illis prioribus Regiminis formis, Regibus puta, Consulibus, Decemviris &c. constituto? Insidere enim Meretrix bestiæ dicitur, partim quod eam pro arbitrio regat, partim quod ab eâ vicissim sustentetur & fulciatur, ita ut sine eâ consistere nequeat, & ea cadente ipsa quoq; sit casura, quod

quod de Imp. Romano sub ethnicis illis Rectoribus constituto nullo pacto dici potest.

CHRISTOPH. *Commemoratur Cap. XVII. v. 11. Rex quoq; Octavus, de quo dicitur*, quod sit ipsa illa bestia à Propheta prius visa. *Bestia verò non est alia quam Romani Imperii imago novâ à Clero inspirata & inequitata, alioqui in decem Regna pariter, ac vetus illud quondam Imperium divisa, sicut paulò post clarius apparebit.* Diatr. p 92.

THEOPH. Quod ad Octavum istum Regem attinet Tecum planè statuo, eo nomine novam Imperii Romani Imaginem significari; Ita enim Revelator Angelus v. 11. *Et Bestia quæ erat, & non est, & ipse octavus est, & ex illis septem est, &c.* Versu autem octavo de eâdem re loquens, vocat eum *bestiam quæ erat & non est, quanquam est.* Cum enim Septem tantum capita illius bestiæ Johanni ostensa fuerint, ideò non ait Angelus caput Bestiæ aliquod esse Regem Octavum, sed bestiam esse illum Regem; quanquam & illa addi potest ratio quod Johannes per Regem istum non tantum Imperii caput, sed etiam ipsum Imperium seu Reip. corpus voluerit significare; propterea quod id tum

prorsus fuerit mutatum. Hoc autem pacto si Regis nomen sumatur, non tantum Caput aliquod bestiæ illi respondet, sed totum bestiæ corpus cum uno ex septem capitibus consideratum, eo nempe cujus duplex esse videtur forma, seu mavis status & conditio. Nam quia octavus hic Rex ex illis septem esse dicitur, necesse est eum uno ex illis septem capitibus (quæ VII. Reges adumbrant,) designari: sed quia nihilominus Octavus Rex dicitur, & sic à septem prioribus distinguitur, necesse est capitis illius, quo significatur, duplicem esse rationem, aut si mavis conditionem: ita ut jure duos Reges partim similes partim dissimiles possit repræsentare. Istud verò nullum aliud, quantum ex descriptione Johannis intelligere licet, esse potest, quam illud de quo scribitur Cap. XIII. v. 3. *Et vidi unum capitum istius* (bestiæ) *ut cæsum ad mortem, & plaga mortis ejus sanata est*, quod postea de ipsa bestia repetitur vers. 14. & ex parte vers. 12. Dum verò ait Angelus, bestiam illam fuisse, & non esse, & tamen esse; ea loquendi ratione utitur, quæ in sermonibus prophetici admodum est usitata. Ita enim verba sua concipit, ac si res,

de

de quâ verba facit, reipsa tunc existeret, idq; tanto concinnius, quod res ipsa, sub imagine quâdam veluti præsens oculis Johannis subjiceretur. Sensus autem istorum verborum est: Cæsareatum, sive Imperatores Romanos, unà cum ipso Imperio antea quidem reverâ fuisse, sed nunc translatis ejus reliquiis, revera non existere. Nihilominus tamen ait bestiam istam esse, quia imago quædam illius, in veteris locum substituta extet, Imperiiq; ipsius nomen atque insignia, veteris item potentiæ & auctoritatis reliquias obtineat.

CHRISTOPH. *Hactenus itaq; Romani Veteris Imperii, ejusq; durationis Prophetia fecit mentionem usq; ad vers. 11. capitis decimi tertii, à quo versu & deinceps duæ aliæ bestiæ depinguntur. Videlicet una, quæ ascendit è Terra, gemino cornu ad instar Agni prædita, loquela verò Draconis. Altera verò quæ bestiæ prioris imaginem referat. Hic verò clarissimum est Bicornem bestiam esse Antichristi Regnum, duplici cornu i. e. geminâ potestate Ecclesiastica & seculari, Cæli & Terræ instructum, &c.* Diatr. p. 96.

THEOPH. Quamvis Patricius Forbesius in suo ad Apoc. Joh. Commentario, p.m. 119. 120. duas bestias hic descriptas neutiquam pro diversis accipiendas, sed ambas unam esse existimet, eò quod communis illa opinio cum perspicuis prioris bestiæ notis Papatui propriis nequeat consistere; non video tamen quâ ratione singularis hæc Forbesii explicatio cum Sacræ Apocalypseos textu possit conciliari. Etenim priori Bestia Corporalem aut mundanam potestatem delineari evidentissimum est è capitibus & cornibus ejus, quæ cap. XVII. de Regali potentia explicantur; posteriori verò Spiritualem aliquam potestatem describi, ex ipso textu rectè colligitur. Nam dum ait: *Bestiam hanc habere duo cornua similia Agni*, manifestè indicat eum, qui per hanc bestiam designatur, vindicaturum sibi potentiam, (quam per cornua intelligi notissimum est) similem potentiæ atq; Imperio Agni, hoc est Christi, quod in eum certè quadrat egregiè, qui se Christi in Terris vicarium esse affirmat, atq; hoc nomine Imperium in omnes, etiam Imperatores ac Reges sibi usurpat. Quo etiam referenda sunt illa, quæ de miraculis

ad

ad falsa illa dogmata stabilienda, ab eadem bestia editis, vers. 13. dicuntur. Quod verò ait: bestiam hanc potestatem prioris bestiæ omnem exercere in conspectu ejus, innuit, Pontificem Imperio Romano potiturum, & omnia pro arbitrio gubernaturum, ita ut potestatem, quæ antea penes Imperatores Romanos fuerat, ad se pertractam quanquam religionis prætextu ac titulo exerceat. Atq; hinc etiam ratio intelligi potest, cur Pontifex, qui (ut mea fert explicatio) antea per septimum prioris bestiæ caput fuerat adumbratus, nunc denuo per bestiam peculiarem, atq; à priori distinctam delineetur. Causa enim hujus rei est, quod genus hoc Imperii ac gubernationis longè diversum esset futurum ab aliorum capitum seu Regum Imperio & administratione. Pontifex enim omnia Religionis gubernat titulo, ejusque Imperium spirituale seu Ecclesiasticum imprimis audit, quæ peculiaris Imperii ratio, peculiari etiam bestia fuit exprimenda; præsertim cum aliàs etiam plurimum interesset Ecclesiæ, ejus potestatem ac conditionem clarius depingi, aut crebrius in hoc libro (Ecclesiæ utilitati potissimum consecrato,) inculcari. Sed tem-

pus est ut consideremus etiam prioris illius bestiæ Imaginem, suasu secundæ confectam, quâ de D. Johannes Cap. XIII. 14. 15. bestiæ secundæ effecta enumerans ita loquitur: *Dicens habitantibus supra Terram, ut faciant Imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladii, & revixit, &c.*

CHRSITOPH. *Quæritur hîc, quæ sit illa Bestiæ imago? Et angnoscunt ferè omnes, intelligi Imperium Romano-Pontificium, veteris æmulum; quod postquam diu collapsum fuisset in occidente, & in trecentesimum us q. annum nulli amplius Augusti & Imperatores Romanis essent, à Leone III. Rom. Pont. in hunc modum restitutum est, ut Carolum Francorum Regem forte tunc festum natalicium Christi Romæ celebrantem, inter ipsa sacra antemeridiana, antiquorum Principum titulis oneraret, Imperatoris at q. Augusti nominibus ei acclamans & unà omnis populus, admodum ut Eginartus testis est, invito, & quantum poterat inter sacra repugnanti, &c. Quis non videt hoc ipso facto impletum esse, quod dixit Propheta: Dicere bicornem bestiam hominibus, id est suadere Pontificem Romanis, ut faciant priori bestiæ Imaginem.*

nam

nam hâc fraude Imperium, quod Romani nullum amplius habebant, quippe qui ne latum quidem pedem extra ſua mœnia publicè poſſidebant, ilicò novæ alicujus potentiæ ingentem ſpeciem habere cepit, &c. Diatr. p. 100. & 101.

THEOPH. Forſitan & illa militaret ratio, quod novum hocce Imperium aliqua tantum Veteris illius Romani Imperii IMAGO ſit nuncupandum: Imago tamen non mortua ſed quæ vitam ac Spiritum quendam habeat, idque ope R. Pontificis, qui non modo (ut rectè obſervas) Imperii hujus conſtituendi author fuit, ſed & poſtmodum illud confirmare & auctoritatem ei conciliare conſuevit. Poteſtas equidem illa atq; auctoritas (quæ ſanè non eſt contemnenda) ac vires quæ in Imperii hujus corpore ſunt, ordinum præterea membrorumq; ejus conjunctio Imaginis hujus veluti vita eſt ac Spiritus, quem tum quidem Imperium hoc novum accepit, cum antiquum illud bellis ita eſſet attritum, ut parum abeſſet quin prorſus everteretur, ſicq; unum beſtiæ caput nempe ſextum quod Impp. Romanos veteres deſignat lethale vulnus accepiſſet, quod conſtituto & confirmato novo eſt ſanatum. Quâ de cauſa Joan-

Joannes h.l. (postquam descripsisset rationem quâ Imago Bestiæ fuerit erecta,) nihil aliud ex descriptione illius superius posita repetit, quam quod habeat plagam gladii & revixerit, innuere volens, hoc solum ad rem de quâ agitur, hoc est ad erectionem illius imaginis pertinere. Fuit enim lethale hoc bestiæ vulnus gladio inflictum causa erectionis ac constitutionis Imaginis illius, sanatio verò illius effectum. Id quâ ratione factum fuerit ex historiis notissimum esse existimo. His ita explicatis, restat ut de ipso Numero nominis Bestiæ amicam placidamq; collationem instituamus.

CHRISTOPH. *De ipso igitur Numero nominis Bestiæ χξς'. deq; Bestiæ illo nomine quoniam non videris sentire quod res est, paucis fer me Te admonentem. Inprimis autem non reprehendo sed laudo, quod adversus Anglum anonymum defendis non annorum cum numerum esse, sed simpliciter numerum nominis bestiæ. Neq; enim (repeto Tua verba) satis commodè intelligi potest, quomodo homines, qui commercia exercere velint, habeant numerum nominis Bestiæ, si eum pro numero annorum accipias & non potius pro appellatione ali-*

aliquâ, quâ ii utantur, qui potestatem bestiæ supra se agnoscant, & ei se addictos esse profiteantur. Magnum utiq; postulatum etiam hoc est, quod supponit Calculator, quod numerus millenarium exprimens usitato Hebræis more omissus & hic subintelligendus sit. Quasi credibile fieri posset potiorem numerum minore absorptum, & in tanto mysterio quasi insuper habitum fuisse. Etsi igitur non probem Anonymi conclusionem à numero nominis Bestiæ ad annum æræ Christianæ 1666. qui instat; tamen haud magis mihi probari potest ea quam præ Te fers seu tergiversatio, seu desperatio invcniendi id Nomen Bestiæ, qnod dictum Numerum continet. Diatr. p. 104.

THEOPH. Si quærat aliquis cur variè adeò ac diversimodè hucusque de Numero Nominis bestiæ philosophatum fuerit? haud incommodè responderi posset, quod Spiritus S. numerum simpliciter posuerit, nec Nomen ipsum cujus esset numerus indicaverit, ideò obscurissimum & planè ænigmaticum esse significaverit. Cum insuper quidam cum ipso nostro Anglo anonymo (monente Maximè Reverenda & Ampliss. Facult. Theol. Wittebergensi in præf. Antapol. p. 26.) cha-

characterem nominis qui Apoc. XIII 18. occurrit, à characterе temporis non ſatis diſtinxerint, accidit, ut ille Nominis numerus miris ac diverſis ejusmodi explicationibus magis obſcuratus quam illuſtratus fuerit. Obiter notandum, quod duplex omninò hujus numeri ſcriptio inveniatur : Regium etenim exemplar Ariæ Montani ſicut & exemplaria Latina non tres literas ſed tres voces numerales expreſſas habent ἑξακόσιοι ἑξήκοντα ἕξ i. e. *ſexcenti ſexaginta ſex* ; Exemplaria Græca verò numerum hunc non integris vocibus, ſed tribus literis græcis numeralibus expreſſum habent χξϛ quarum prima χ Græcis notat 600. media ξ 60. tertia ϛ 6. malè cum virgula ſuperimminente ut exemplaria Græca Typographorũ incuria ferè habent. Cum virgula quippe ϛ non 6. ſed 90. denotat ϟ. Fuerunt etiam (annotante Dn. D. Hier. Kromayero Comm. in Apoc. p. 318.) qui pro media litera ξ poſuerunt ρ, ut ſit contractum nomen χρϛ eo quod Antichriſtus hoc nomine Chriſtianis & Judæis ſit impoſiturus. Quoniam verò exemplaria omnia Græca vel integris dictionibus legunt ἑξακόσιοι ἑξήκοντα ἕξ, vel tribus notis χξϛ & ipſe contextus numerum

merum his literis exprimi dicat, rectè in id incubuerunt plerique Interpretes, ut nomen Antichristi ederent, in quo tales forent literæ, quæ exactè numerum istum à Prophetâ propositum continerent. Minimè igitur in Examine meo reprehendi operam in nomine isto investigando ab orthodoxis Interpretibus collocatam hactenus, etsi ratione *infallibili* illud vix tradi posse judicaverim. Neque sane tergiversatio hæc dicenda, seu desperatio inveniendi id nomen bestiæ, quod dictum numerum continet, sed Christiana potius & à Summis etiam Theologis probata moderatio, præsertim cum Spiritus S. magnam obscuritatem & peculiare verborum involucrum (ad quod evolvendum singulari sapientia sit opus) profiteatur, quamvis potestatem computandi numerum bestiæ omni prudenti dederit. Cum insuper valdè credibile sit, non uno modo bestiæ nomen inveniri posse, eapropter quidam olim cum B. Irenæo Lib. V. Cæsariense & Areta existimarunt, *certius & sine periculo esse sustinere adimpletionem prophetiæ, quam suspicari & divinare nomina quælibet, quando multa nomina inveniri possunt habentia prædictum numerum.*

Quum-

Quamdiu etiam non indubitatò constat, an Græcæ an Hebraicæ numerales literæ hic sint intelligendæ, haud infallibiliter Nomen illud explicabitur, quod suis literis numeralibus hunc numerum sit redditurum. Egregio sanè fundamento nituntur qui Græcas volunt, quod Johannes hanc Apocalypsin Græcè scripserit; qui verò hebraicas haud inepto adeò ducuntur ratiocinio, quod hebraica lingua Johanni fuerit vernacula, & quod Antichristum Orientalem Hebraicis numeris (ut sunt Gog Magog, item Abaddon &c.) designaverit. Quid, quod nondum satis exploratum sit, num intelligendum sit nomen quod ipsa sibi assumit bestia, an quod ei secundum rei veritatẽ congruit? Cum itaque hæc & similia probè quondam considerassem, in examine meo suspicatus sum, *divinum spiritum nomen bestiæ quod hic subaudiendum, datâ operâ reticuisse, ac generatim tantum innuisse, numerum nominis illius esse ejusmodi, quo homines uti solent ne desperatione rei ipsius inveniendæ lectores à labore inquirendi absterrerentur: Tantò magis etiam nomen ipsum, cujus numerus eo loco expressus, occultatum esse, quanto minus numerus*

merus iste 666. utpote imperfectus, nec denario aliquo finitus, de numero annorum sit intelligendus.

CHRISTOPH. *Sunt quædam in his verbis Tuis quæ non capio. Conaris interpretari, quo consilio Propheta dixerit, quod hic numerus sit numerus hominis; videlicet, ne inveniendi desperatione à labore inquirendi lectores absterrerentur: Et tamen ipse desperas, adductis in medium quibusdam nominibus, quæ huc inquis pertinere, ut sint* λατεῖνος, Ἐκκλησία Ἰταλικὰ *& sexcenta alia à variis excogitata, neq; interim exprompto judicio Tuo, quodnam inter sexcenta illa id sit, quod à S. Spiritu designitum est, &c.* Diarr. p. 106.

THEOPH. Ut paucis me expediam; cum plurima sint vocabula, quæ juxta literarum computationem hunc reddant numerum, rem arduam existimavi & difficultatis plenam certò statuere, quodnam NOMEN sit eligendum? hinc facilè apparet quid verbis istis indicare voluerim; scil. à nullo quod sciam traditum fuisse infallibile Nominis istius indicium. De probabili verò me neutiquam desperasse inde constat, quod nomina quædam ipse in examine recensuerim, vi-

O deli-

delicet λατεῖνῳ, Ἐκκλησία Ἰταλικὰ &c. eaq; huc imprimis pertinere putaverim».

CHRISTOPH. *Multo minus intelligo rationem, propter quam cum numerum, numerum annorum esse negas*; utpote inquis imperfectus, nec denario aliquo finitus; *Nimirum per Te nullus numerus annorum potest esse imperfectus: & nisi denario finiatur, numerus annorum non erit. Quis hoc fando unquam audivit?* Diatr. p. 106.

THEOPH. Si subsequentia Examinis mei verba etiam adhibuisses, rationem propter quam cum numerum numerum annorum esse negavi, facilè intellexisses; *Non enim* (ita ibid. pergo) *solet Deus facilè in hujusmodi prophetiis spatium aut articulum temporis adeò præcisè antequam res ipsa cum in apertum producat, revelare, sed potius in ambiguo relinquere, est enim ut Salomon ait: Gloria Dei celare verbum Prov. XXV. 1. quod nuspiam magis quam in decretis ipsius locum habet, in quibus universus sermo propheticus reverá occupatur.* Hæc inquam causa ratioq; est, propter quam cum numerum numerum annorum esse negavi, non quod existimem, nullum numerum annorum esse posse imperfectum,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 6;Leibn. Marg. 72, [230] - 210
PUBLIC DOMAIN

fectum, & nisi denario finiatur, numerum annorum non esse, id quod nunquam in mentem mihi venit; quæ autem obsecro hæc est consequentia: Occultatum est nomen illud tantò magis, quanto minus numerus ejus utpote imperfectus, nec denario aliquo finitus, de numero annorum est intelligendus, (quia scil. Deus non solet in ejusmodi prophetiis articulum aut spatium temporis adeò præcisè revelare &c.) ergò nullus numerus annorum potest esse imperfectus, & nisi denario finiatur numerus annorum non erit. Quis fando talem audivit consequentiam? Sed inquis: Quicquid de eo sit, Tu tamen numerum denario non finitum imperfectum nuncupas: Resp. non simpliciter sed ἐν λόγῳ συγκρίσεως seu comparativè & respectivè id esse accipiendum; numerum etenim denario finitum perfectiorem esse non-finitis aliis, nemo facilè ibit inficias, imò nec Tu ipse, dum porrò scribis:

CHRISTOPH. *Vulgo aliàs notum est, denarium perfectionis numerum vocari. Ratio verò hujus rei non ab omnibus patet. Pythagoræi, ut est testis Alexander Aphrodis. comm. in 2 parv. Metaph. reddiderunt hanc;*

quod decem maximis corporibus hoc universum absolvitur. 1. Terra. 2. Luna, quam ἀντίχθονα, id est oppositam Terram vocabant. 3. Mercurio. 4. Venere. 5. Sole. 6. Marte. 7. Jove. 8. Saturno, una sumptis illorum sphæris, seu spatiis motus & omni eo, quod intra eadem spatia continetur. 9. Sphæra Stellarum fixarum. 10. Vesta, quo nomine appellarunt ignem subterraneum in Mundi centro situm, ut habet Plutarchus in V. Numæ &c. Diatr. pag. 107.

THEOPH. Licet ob denarii numeri perfectionem Pythagoræi decem quondam Sphæras statuerint, certum tamen est eos à sensibus plures quam novem demonstrare non potuisse, (nempe septem planetas, sphæram stellarum fixarum, & globum terrenum) decimum ab ingenio excogitasse & nomen illi dedisse ἀντίχθονα i.e. Terræ quæ sit huic nostræ opposita. Disertis etenim verbis Aristoteles 1. Metaph. c. V. & Lib. II. de Cœlo c. 13. testatur *Pythagoricos Ignem in medio posuisse, Terram autem unam Stellarum appellasse, ferriq; circa medium atq; hoc pacto noctem & diem efficere. Aliam autem* (pergit idem) *huic contrariam terram consiciunt, quam terram*

ram adversam (ἀντίχθονα) vocant; non ad ea quæ videntur rationes causas q; quærentes, sed ad quasdam suas rationes opiniones q; ea quæ videntur trahentes, at q; ornare conantes. Ex quo loco satis apparet, ignem in centro universi collocatum nihil aliud quam Solem, fuisse, quem igneum Vetustas credidit, non enim aliter intelligi potest quod Aristoteles ait, arbitratos illos esse diem noctemque fieri conversione globi terreni circa hoc Mundi centrum. Neq; facilè assentiemur Plutarcho, quod illum ignem, quem Universi focum Pythagoreus Philolaus appellat, & in ipso Mundi centro ponit, ex ejusdem Phil. opinione à Sole distinguat, & in Comm. de An. procreat. fol. 1028. edit. Gr. Lat. mundana corpora ex Pythagoricis placitis numeret Ignem, ἀντίχθονα, Terram, Lunam, Mercurium, Luciferum (seu Venerem) Solem; cum ex alleg. Aristotelis loco constet per ignem, in quo centrum Universi schola Pythagorea collocavit, non nisi Solem intelligendum esse. Et licet existimare possis sciissos hâc ipsa in re opinionibus Pythagoreos, ut quidam Ignem corpus à Sole diversum ut Philolaus, quidam verò ipsum Solem esse dixerint; prius tamen

haud videtur probabile, statuendum enim esset Philolaum non decem sed undecim inveniisse corpora mundana, quod Philosophiæ Pythagoricæ fundamentis planè adversatur. Magis verisimile, juxta Pythagoræos Ignem centralem Solem nuncupare, cujus rei haud obscura in ipsis Gentilium Sacris vestigia occurrunt; cur enim perpetuum illum & Sacrum Vestæ Ignem, si contigisset eum casu aliquo extingui, nõ aliter apud Græcos quam à Solis radiis accendere licebat, nimirum quia Vestalis ignis Solem repræsentabat, cujus Græci ritus meminit Plut. in Num. Cum igitur per ignem centralem non nisi Sol sit intelligendus, non plures novem sphæris habebimus. Tu quidem Doctiss. Vir ex Pythag. sententia decimani Sphæram Vestam nuncupas, seu ignem subterraneum in Mundi centro positum, ut habeat Plutarchus in Num. Etsi verò ignis mentio apud Plutarchum fiat, non tamen subterranei, quo jure enim divelletur hic à Terra ipsa, cum quâ & globum unum constituit, & motum sphæricum nisi communem habere non potest. Credo hanc ipsam ob causam Te Pythagoricam illam decem sphærarum explicationem rejecisse, &

pro

pro Vesta Cœlum Crystallinum in decem sphærarum complementum assumsisse. Rectius autem Bodinus intellexisse videtur quid ἀντίχθων Pythagoræorũ esset, dum in Theat. Nat. p. 554. eam à Luna planè distinguit h.m. *Pythagoræi præter Orbes octo* (in quibus nempe planetæ & in his Luna comprehenditur,) *ac Terram, Orbem ἀντίχθονα finxerunt*. Imò Plutarchus ipse l.a. ἀντίχθονα clarè distinguit à Luna tanquam plane diverso abeo planeta, idem elici potest ex alio Plutarchi loco Lib. II de plac. c.29. idemq; confirmat locus Porphyrii Vit. Pythag. p.194. ubi ἀντίχθων non modo distinguitur à sphæra τῶν ἀπλανῶν, sed etiam τῶν ἑπτὰ ἀστέρων i.e. *septem Planetarum*, quod contra Simplicium (quem Tu sequeris) notandum, qui teste Piccarto diss. de Criter. Scient. ⊙ 24. & Cæl. Rhodig. Lib. XXII. Ant. Lect. c. 14. existimavit Pythagoræos per ἀντίχθονα Lunam intellexisse; cui asserto Simplicius colorem ex eo forte quærere potuit, quod Pythagoræi quandam statuerint Lunam perinde ut nostram Terram habitari ab animalibus, quæ quidem nostris majora sint decies quinquies, vid. Plut. Lib. II. de plac. cap.30. Verum licet inde colligatur Lunam à

Pythagoræis dici Terram (ſicut à Phyſicis eam ætheream Terram vocatam fuiſſe teſtatur Macrobius Lib. I. in Somn. Scip. c. II.) aliud tamen Terra eſt ſimpliciter, aliud verò ἀντιχθων, h.e. Terræ noſtræ ſic oppoſita, ut conſpectum Orbis noſtri perpetuo effugiat, quod Luna certè non ſemper facit; quid quod ſententiæ huic (ſcil. quod ἀντίχθων ſit Luna) ipſa Mundani Syſtematis ſecundum Pythagoræos machina omninò reclamet, quæ decem maximis abſolvitur corporibus, ſi verò Luna eſt ἀντίχθων nõ plura (ſupponendo jam quod Sol per ignem Veſtæ centralem intelligatur) quam novem conficiuntur; quodſi verò ἀντίχθων à Luna diſtinguatur, numerus denarius facilè complebitur. Per ἀντίχθονα autem Pythag. cum ipſo Ariſtotele 1. Met. c. V. rectè intelligimus planetam illum ab omnibus ſtellis pariter ac ipſo Terræ globo diſtinctum, ſed non alibi quam in cerebro natum. Quod verò ex eo Simplicius Lunã fabricarit, vix alia de causâ factum, quam quod puderet ipſum immanis inſaniæ, cum adverſus Chriſtianos, qui Gentilibus pariter ineptias & diſſenſiones inteſtinas objicerent, Gentilium ſapientiam & harmonicum conſenſum homo pro-

profanus evincere laboraret, de quo ejus studio videndus Pererius Lib. IV. phyſ. c. 10. & Arniſ. epit. doctr. phyſ. p. 37. Sed & inſanum Pythagoræorum in denarium numerũ amorem inde diſcas, quod obſervante Photio Bibl. p. 237. ed. Græcæ, partes etiam orationis reformare & reliquis octo duas adjicere ſint conati, nimirum (ut Photius ait) ad ſuam potius ſpeculationem res aptare, quam ad rerum naturam mentis ſuæ cogitata dirigere ſtuduerunt. Sed cum dè hujusmodi prolixius agere non ſit præſentis inſtituti, ex Pythagorico in campum noſtrum Apocalypticum redeamus, disquiſituri tandem, quodnam ſit nomen à Spiritu S. beſtiæ deſignitum?

CHRISTOPH. *Simpliciter acquieſco nomini illi Hebræo, quod dudum alii huc pertinere arbitrati ſunt* רומיית *Romana, ut reſpondeat Hebræo* חיה *Beſtia, quod ipſum quoq; formam femininam habet. Quærenti itaq; quæ eſt illa, aut quomodo vocatur illa Chajah, Beſtia? reſpondetur Romijth Romana, &c.* Diatr. pag. 109.

THEOPH. Non inepta quidem nec incongrua apparet iſta NOMINIS explicatio, ei tamen Tecum ſimpliciter acquieſce-

re haud velim, præsertim quoniam exactè adeò non constat, an juxta hebræas literas an juxta græcas numerus ejus sit computandus? Si juxta Hebraicas literas (quoniam Revelatio illa Hebræo homini facta est,) valde probabile videtur nomen רומיית Romana, aut ROMANUS hebraicis literis scriptum hoc modo:

ר	מ	ע	ו	צ	ש
200.	40.	70.	50.	6.	300.

qui numeri si per additionem in unum conflentur summam 666. exhibebunt. Nihil hic excedit, nihil deficit, & ad rem ipsam vocabulum apprimè quadrare videtur; quemadmodum enim vox Romjith Romana (licet apud Hebræos nomina collectiva promiscuè utrovis genere masculino aut fœminino enuncientur) respondet Hebræo חיה Bestia, sic רמעוש respondet ei, qui in Urbe septicolli Orbis olim Dominâ inter duo Maria sita, sedem suam habet Antichristo. Si verò Bestiæ Nomen Græcis literis sit exarandum, (quod valdè verisimile, quoniam græcè scripta est & ad Græcos Revelatio) illud præ cæteris commendarem, in quo Irenæus Scriptor vetustissimus jam ante 1400. años hunc numerum invenit, nempe Nomen ΛΑΤΕΙ-

NO

ΝΟΣ Græcis literis ſcriptum, idque duplici de cauſa; prior eſt: quia hæc dictio ſervato Græcorum numerandi modo exactè continet numerum 666. nam λ, 30. α, 1. τ, 300. ε, 5. ι, 10. ν. 50. ς, 70. σ, 200. deſignat, qui numeri juncti conſtituunt 666. poſterior eſt, quia res nomine iſto ſignificata talis eſt, cui jure tribueris notas Beſtiæ in Scriptura deſcriptas: Eam enim LATIO dominaturam & Urbem ſepticollem inhabitaturã diſertè trãdit Apocalypſis cap. XVII. Ut verò dominii quondam erat ſignum linguam Victoris obtrudere victis; ſic Pontifex per linguam Latinam Regnum ſuum ſtabilivit. Ut ut enim cognationem aliquam habeat cum lingua Italica, Gallica, Hiſpanica, quæ Latinæ ſunt traduces, tanto tamen intervallo jam à multis ſeculis abfuerunt invicem, ut colloquendi poteſtatem ademerint. Sed quid dicam de lingua Germanicâ, Britannica, Sclavonica, nullam prorſus cognationem cum latina habentes. Quid Tibi igitur de nomine λατεῖνος videtur an rejiciendum illud putas, an imprimis obſervandum?

CHRIST. *Quanquam τὸ λατεῖνος numerum illum pariter continet, quia tamen ad vocẽ θηρίον quæ neutrius generis eſt non reſpondet;*

nec

nec tale est, quod vulgò assumi ab iis consueverit, qui se Latinam Ecclesiam sequi jactitant; ideò huc non pertinebit. Diatr. p. 110. & 111.

THEOPH. Voluit Irenæus nomen illud non proprium esse (aut tale quod vulgò assumi ab iis consuevit, qui se Latinam Ecclesiam sequi jactitant) sed appellativum, desumptum à loco Regni, unde expectabat Antichristum sedentem in Templo Dei nempè ex Latio; nec falsus Vates, Latinum enim solum & ipsum Latii caput sibi erexit in temporalem principatum, ibiq; Regnum fundavit spirituale, & de nomine suo Latino, suos omnes vult esse Latinos, seu omnia Latina, Liturgiam Latinam, fora Latina, Latina diplomata, Scripturam authenticam non nisi Latinam esse voluit, Ecclesiam ipsam universalem Latinam appellavit. Quanto conatu etiam hoc egerit ut Anglis & Germanis linguam latinam in usu Sacrorum obtruderet, & hoc vinculo arctius sibi adjungeret, testis temporum historia loquitur. In seculo jam octavo apud Germanos superiores usum fuisse linguæ latinæ cum sacra peragerentur, formula baptismi & controversia super illa orta: Baptizo te in nomine Patria,

tria, Filia, & Spiritus Sancta &c. abunde docet. Sclavonis, licet ad tempus usus vernaculæ in peragendis Sacris fuerit concessus, hodiè tamen in Polonia Hungaria & aliis Regionibus Sclavonicâ linguâ utentibus, latinè sacra peraguntur. Cum ante paucos annos ad moderni Pontificis Alexandri VII. aures perveniſſet, quosdam in Regno Galliæ Miſſale Romanum in Gallicam linguam conversum, typis evulgaſſe, ille ad iram valde commotus, atq; veritus ne novum exinde Romanæ Eccleſiæ, dominiiq; Papalis in Gallia decrementum emergeret, ſine mora conatum iſtum atroci quodam fulmine retudit, Bullaq, damnavit peculiari, quæ novo Librorum prohibitorum Indici inſerta, pag. 382. ita ſonat:

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

AD aures noſtras ingenti cum animi noſtri mœrore pervenit, quod in Regno Galliæ quidã perditionis filii in perniciem animarum novitatib. ſtudentes, & Eccleſiaſticas Sanctiones ac praxin contemnentes, ad eam nuper veſa-

vesaniam pervenerint, ut Missale Romanum Latino idiomate longo tot seculorum usu in Ecclesia probato conscriptum ad Gallicam vulgarem linguam convertere, sicq; conversum typis evulgare & ad cujusvis ordinis, & sexus personas transmittere ausi fuerint, & ita Sacrosancti ritus majestatem Latinis vocibus comprehensam dejicere & proterere, ac Sacrorum mysteriorum dignitatem vulgo exponere temerario conatu tentaverint. Nos quibus licet immeritis Vineæ Domini Sabbaoth à Christo Salvatore nostro plantatæ, ejusq; pretioso sanguine irrigatæ, cura demandata est, ut spinarum hujusmodi quibus illa obrueretur, obviemus incremento, earumq; quantum in Deo possumus, radices succidamus, quemadmodum novitatem istam perpetui Ecclesiæ decoris deformatricem, inobedientiæ, (NB.) temeritatis, audaciæ, seditionis, schismatis, aliorumq; plurium malorum facilè productricem abhorremus & detestamur; ita Missale prædictum Gallico idiomate à quocunq; conscriptum, vel inposterum aliâs quomodolibet conscribendum, & evulgandum, motu proprio, & ex certa scientia ac matura deliberatione, nostris perpetuo damnamus, reprobamus, & interdicimus, ac pro damnato reprobato, & interdicto haberi volumus, ejusq;

ejus q; impressionem, lectionem & retentionem universis & singulis utrius q; sexus Christi fidelibus, cujuscun q; gradus, ordinis, conditionis dignitatis, honoris & præeminentiæ, licet de illis specialis, & individua mentio habenda foret, existant, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso jure incurrendæ, perpetuo prohibemus. Mandantes quod statim quicun q; illud habuerint, vel in futurum quandocun q; habebunt, realiter & cum effectu exhibeant, & tradant locorum ordinariis, vel inquisitoribus qui nulla interposita mora exemplaria Igne comburant, *& comburi faciant, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscun q;. Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem sub Annulo piscatoris die 12. Jan. 1661. Pontificatus nostri anno Sexto.*

S. Ugolinus.

Hactenus Bulla Papalis, ex quâ ut (alia taceam) facilè colligere licet, τὸ λατεῖν & utiq; huc pertinere, nomenque illud pridem à B. Irenæo inventum cæteris omnibus esse anteponendum. Sed quodcunq; tandem sit eligendum modesto homini satis est, quum male invenerit, quod Bestiæ fundamentum attingat.

ringat, dummodo certò constet Numerum illum 666. non annorum (uti calculator anonymus in Anglia, & cum eo contenderunt alii,) sed Nominis numerum dicendum esse atque nuncupandum. Nunc de ipso Urbis Excidio septemque postremis plagis Tecum Doctissime Vir esset porrò disquirendum, sed quoniam de iis nulla ferè inter nos sit controversia, nec examini meo ultimum istud Diatribæ Tuæ caput adversetur, hic pedem figentes, COLLATIONEM nostram uti cœpta & continuata est AMICE & PLACIDE

FINIAMUS.

EMENDANDA ET ADDENDA.

Pag. 31 l. penult. pro Ager lege *Age*, pag 46. Theologis citat. adde *D. Iac. Andreæ Conc. X. de Turcâ, p. 326. nec non Dnn. Vinarienses & D. Osiandr. in notis.* pag. 54. l. 24. pro Pompejus, Lætus, lege Pomponius Lætus in l. de Mahomete; item pro Laonicus, Chalcondilas, lege Laonicus Chalcondilas, l. de orig. Imp. Turc. edit. cum Niceph. Gregora & Georg Logotheta Colon. Allobr. 1615. Pag. 65 lin. 19. omissa sunt verba sequentia: *expurgetur ab adjectis. Expurgatus autem juxta Decretum S. Congreg. d. 27. Iulii 1657. permittitur. Expurgari autem debet ut sequitur: Auferatur &c.* Item pag. 66. l. 17. *cum deficiens sit &c.* pag. 97. l. 23. leg. *imperare.* p. 119. l. ult. leg. 121. pag. 160. l. penult. l. *Fabiani.* pag. 168. l. 2. pro 1555. lege 1550. p. 172. l. 14. l. *deferbuisse.* pag. 173. l. 6 lege *plurimos.* pag. 182. l. 23. l. *Domini.* p. 188. l. 5. l. *Romanam.*

ANA-

ANACEPHALÆOSIS ALPHABETICA.

A Barbanelis ſententia de Numeris propheticis p.11, de cap.XII. Dan. Proph.122.

Abominatio deſolationis quæ. pag.133.

Ætas Antichriſti an & quâ ratione incerta p.11.12. an numeris ſymbolicis atq; perfectis deſignata, 31.ſeqq.quam variè tradita,147.de ea moderatũ D.Gerhardi,D.Danhavveri,D.Geieri aliorumq; Theologorum judicium, 10. 19. 22. 23. 40. ejus terminus à quo an à Spiritu S.ſtudioſè indicatus p.30. 39. 40. 133. 138. 145. 182. veriſſima de eâ ſententia,139. an ab anno Chriſti 260. incipienda? 156. ſeqq.

Aiſtulphi Longobardi rabies & perfidia. 109

Alcoranus quantis in Deũ injuriis refertus. 75.ſeqq.

Alexandri VII. Pont. Index Librorum prohibit. p.65.ex eo ſpecimen Uniratis Romanæ ib.& 66. Bulla adverſus Miſſale Rom. lingua Gallicâ ed. confirmat nomẽ λατεῖνος ab Iren.inventum,221

Ali Perſarum Deaſter. 61

Anabapiſtarum turbæ unde ortæ. 15

Ἀντίχθων Pythagor. quid. 215. 216

Antichriſtus an ſecularis Princeps? p. 120. an Tyrannus extra Eccleſiam,121.ejus Regno erigendo quid diu obſtiterit 148. exorientis magniloquentia. 150

Apocalypsis, de ea B. Hieron. & Auguſt. ſententia, p. 7. 8. an ejus cap. XI. ætas Antichr. ſtudiosè indicata 181. cap. XI I. de quo ſit accipiendum. 188
Apoſtolorum ſomnium de Regno Chriſti mundano, p. 19. curioſitas à Salvatore quomodo repreſſa. ib.
Argentorati anno 1550. denuò miſſificatum. 166
Ariperti Longob. Reg. donatio Alp. Cott. qualis, 107
Articuli Cardin. Morono de Lutheraniſmo accuſato objecti. 168
Aſvadus Muhamedis æmulus. 71

BEati ab Angelo qui ſint nuncupati. 141
Beſtiæ primæ Apoc. XIII. deſcriptæ capita quæ, 190
Beſtiæ inſidere quid, 196
Beſtia Bicornis Apoc. XIII. quæ, 200
L. Jun. Brutus quomodo Regnum ſit adeptus, 189
Bulgari an Cornu peculiare Rom. Imp. dicendi. 94

CHRISTOPHORI ſcopus & intentio, p. 21. ſententia de Numeris Prophetico-Apocal. expenſa 24. 25. ſeqq. de cornu parvo prolixè examinata à p. 47. ad 123. de diviſione Imperii Veteris conſiderata p. 93. 94. de tribus coram R. Pont. evulſis cornibus cogitatio quibus difficultatibus obnoxia, 97. 101. ſeqq. 116. de Ætatis Antichriſtianæ initio repudiata 148. 156. ſeqq.
Jo. Chryſoſtomi Miniſtri Bohemi ingens periculum 177. liberatio. ibid.
Circumciſio à quibus olim Gentibus adhibita, 63
Conſtantinopolis à Turcis quando occupata. 92
Cornelius Papa qualis 157. quæ ei crimina à Novatiano objecta, 161

Cor-

Cornua decem diversimodè explicata, 87. seqq. 97. decem digitis in statua Nabuchod. expressa, 89.
Cornu parvum quam variè explicatum, p. 43. de quo sit accipiendum 45. seqq. 120. seq. ejus ortus 48. Natura seu proprietas 50. potentia 51. Terminus seu duratio 53. quænam ab eo evulsa Rom. Imperii cornua? 89. 91.

DAniæ Regis ad diploma Pontificis responsio, 172
Denarius perfectionis numerus 211. insanus Pythagoræor. in eundem amor, 217
Dictatores Roman. cur à Regum seu capitum serie excludendi 193. quomodo sint constituti, ibid.
Duodecimum Dan. caput de quo sit accipiendum. 116. seqq.
Duodenarius perfectus & symbolicus est numerus 33. ex eo dierum 1260. quomodo collectus, 36.
Duumviratus Romanus an cæteris Imperii modis connumerandus, 192

EVangelicæ rei facies exacto año 1550. quæ, 166 177. ejus status in Hispania 174. Germania, Bohemia, Moravia 175. 177. Polonia 176. Sabaudia 178. & Hibernia 179
Examinis Vatic. Anglic. defensio, p. 9. 21. 41. 124. 125. 185. 186. 209. 210. 211.

FAcies quid apud Hebræos notet, 98
Franci cur bis à Papa evocati 108 quo erga eum fuerint animo 112. an per Normannos sublati, 113

GErmaniæ limites 88. de eâ subjuganda Pont. Rom. consilia, 168. ad ejus Principes Protestantes Papæ Brevia. 171

Græcorum & Romanorum ſuper ambitione mutua lites, 152
Gregorius M. à Longobardis ſubdolè deceptus, 105 ejus literæ ad Mauritium Imp. ibid. querela de Longobardorum incurſionibus & Rom. Urbis calamitate. 106

HAlli Epiſcopi Exonienſis oratio, Urbani VIII. gratulationi oppoſita, 173
Harmonia temporis annorum menſium & dierum an exacta, 37. quid commonſtret, 39
Hibernia à quibus depopulata 180. innumerabilis Chriſtianorum multitudo quam miſerè in eâ trucidata. 178
Hiſpanicæ Inquiſitionis officia. 167
Hunnis an Cornu appellatio ſit tribuenda, 95. eorum in Pannoniam migratio, ibid.

ILluminatorum ſecta in Hiſpania qualis, 174
Imago Beſtiæ prioris, ſuaſu ſecundæ confecta quæ, 202. 203.
Innocentius II. captus à Normannis, 116
Imperii Rom. Vet. diviſio 88. 94. qua ratione illud obſtiterit Antichr. novo. 148. quomodo Beſtiæ ſepticipitis typus ei conveniat, 188. Capita ejus quæ, 190
Imperium Saraceno-Turcicum cum Cornu parvo comparatum, p. 48. ſeqq. ejus ortus ibid. 54. 55. 68. potentia 51. 52. parvum quare dictum 68. Unitas ei haud deroganda 59. tria ab eo evulſa cornua quæ, 89. ſeqq. ejus inclinatio & terminus, 117. ſeqq.
Judæ Gaulon. Judæ Ægyptii & Moſis Cret. ſeditiones unde ortæ, 14. Lanie-

LAnienæ Gallicæ, 83. 167. Sabaudica qualis, 177 Hibernica. 178

ΑΑΤΕΙΝΟΣ an Nomen Bestiæ continens numerum 666. p 219. unde desumptum, 220. cur cæteris anteponendum, 221. 223.

Leo I. cur Magnus dictus, 149. quomodo primatum parturire ceperit, 149. qualem in Concil. Chalced. se per Legatos gesserit. 150

Leo IX. Papa à Normannis captus. 113

Lipmanni Judæi de diebus 1335. sententia, 144. quid in eo laudandum. 145

Locrensium contra Novatores processus, 13

Longobardi quomodo Italiæ Regno sint potiti, 102. 103. an cum Pontifice conspiraverint in Græcorum exitium, 104. per Francos quare sublati. 108

Lutheri sententia de Numeris Dan. XII. occurrentibus, 22. de decem cornibus, 88. 94. de ætate Regni Antichristiani 152. 182

MOravi exules à quo excepti. 176

Moronus Cardin. de Lutheranismo quomodo accusatus 168. è custodia liberatus, 171

Muhamed pseudo-propheta Imp. Sarac. fundator 48. 55. *Alius* quomodo dictus, 58. stupendus ejusd. successus 55. bella feliciter gesta, 70. 71. ejus æmulus quis, 71. encomia ex Alcorano aliisq; Arab. monumentis, 75. 76. miracula ei falsò tributa, 77. ejus odium & bella in Sanctos, 81. successores quo animo erga Christianos, 85

NAtigai Tartarorum Numen, 64

Phil. Nicolai calculus quibus laboret difficultatibus, 183.

Nor-

Normannorum in Italia Imperium 114. Papa cur iis iratus, 113. bella cum eo gesta, 113. 115. Apuliæ Siciliæq; dominatu quomodo sint potiti, 114. ex Italia dejecti. 116

Nomen continens numerum Bestiæ 666. cur tam variè explicatum, 205. 208 an opera in eo inveniendo collocata sit reprehendenda, 207. quodnam cæteris omnibus anteponendum, 218. 223.

Novatianus schismatis in Ecclesia Rom. orti author, 157. ejus ambitio, 160. cum Novato adversus Cornelium Papam conspiratio, 161. facinus detestandum 162. an primus in Romana sede Antichristus nuncupandus, 160

Numerorum Angelicorum obscuritas, 7. 181. de eorum intelligentia an desperandum. 9. de iis Lutheri & aliorum Theologor. sententia, 22. 23. studium in eorum explicatione collocatum an reprehendendum, 18. 40

Numeri dierum 1260. & mensium 42. quomodo perfecti sint & symbolici, 31. seqq.

OCuli in Scriptura quid denotent, 50. an Imp. Muhammed. tribuendi. ibid.

Oraculum Delphicum qua ratione Bruto Regnum portenderit, 189

Os magniloquum an Imp. Muham. conveniat. 51. 73

PApæR. an cornu parvi typus respondeat, 96. 120. an monarchica potestas, ibid. an tria ab eo evulsa cornua, 94. seqq. an Exarchatum sustulerit per Longobardos, 102. seqq. 107. an hos summoverit per Francos. 108. cur Normannis iratus, 113. an exacto anno 1550. se victum sit fassus, 165. seqq. qualis Petri successor 173. an inter septem

septem R. Imp. capita collocandus, 194. quâ ratione tempus dominii ejus *breve* sit nuncupatum, 195. quâ lingua Regnum suum stabiliverit, 219
Patricii atus an pro peculiari Regiminis forma habendus, 191
Persarum cum Turcis discordia, 61. unde orta ibid. eorum Deaster Ali, ib. sectæ circa quatuor Theologiæ capita, 62. eorum Reges cur Tsophi appellentur, 61
Persecutiones Hugonotarum in Gallia, 166. 172. Hispania, 174. Evangelicorum in Germania, Bohemia Moravia, Polonia 175. Reformatorum in Hibernia, 178. an exacto anno 1595. desierint, 180
Philippi II. in extirpandis veritatis Evangelicæ assertoribus diligentia, 174
Pythagoræorum sententia de numero septenario, 33 de decem sphæris, 212. an tot à sensibus demonstrare potuerint, ibid. seqq. eorum ἀντίχθων quid, 215. seq.

REx Octavus Apoc. XVII. quis, 197. ejus duplex conditio. 198
Regum Nomen capitibus Bestiæ quo sensu sit tributum. 188. 190
Remotio jugis sacrificii quæ, 132. 163
Romanensium discors concordia, 65
Rupellensium expugnatio. 173

SAncti in Scriptura qui, 79. an Christianis per Saracenos punitis tribuēda sit hæc appellatio, 80
Sanctæ Civitatis conculcatio quomodo intelligenda, 186. quamdiu duratura, 187

INDEX.

Saraceni Rebellium stigmate notati, 56. 57. eorum appellatio unde, 69. bella cum Muhammede gesta, 70. pugna adversus Sanctos. 81. 85

Saxoniæ Elector Jo. Georg. I. qualis erga Exules Bohemos, 176

Schisma primum de Paschate, 153

Schisma Novatianum, 147. an ab eo ætas Antichristi sit deducenda? 156. ejus verum tempus, ibid. Author, 157. fons & origo, 160

Septenarius Numerus sacer & symbolicus 32. 33. Ægyptiis in veneratione, ibid. ex eo numerus mensium XLII. collectus, 36

Septimanarum LXX. Dan. explanatio 24. seqq. partes ab Angelo constitutæ, 25. initium 27. 28. finis, 29. differentia à mensibus & diebus propheticis, ibid.

Signa Romana cur Judæis abominatio. 135

Synodi Chalcedon. canon de primatu, 151. à Papæ Legatis repudiatus, ibid.

TArtarorum religio quomodo differat à Turcica, 63. 64
Tellinensium tyrannica oppressio, 175

Triumviratus Rom. in Duumviratum quomodo mutatus, 192

Turcæ in augendo Imperio suo valdè oculati, 50. de religionis unitate maximè solliciti, 60. eorum adversus Sanctos pugnæ & victoriæ. 82. 85. pessima de Regno suo auguria, 119

VAticinia ex proprii ingenii phantasmate deprompta quam damnosa & exitiosa, 1. 14. seqq. qua ratione reprimenda, ibid.

Victoris Papæ in Asianas Ecclesias protervia, 153


Unitas in Imp. Turcico quâ ratione conservetur, 59. an ei sit deroganda, ibid. an Regno Pontif. conveniat, 64.

Urbanus VIII. quomodo Galliæ Regi de expugnatione Rupellensium sit gratulatus, 173. quid Legato Hispan. dixerit, 177. quo animo erga Lutheranos fuerit, ibid.


ZElus in Papam inordinatus & sanguinolentus, 16.

FINIS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 6;Leibn. Marg. 72, [252] - -
PUBLIC DOMAIN




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 6;Leibn. Marg. 72, [253] - -
PUBLIC DOMAIN




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 6;Leibn. Marg. 72, [254] - -

PUBLIC DOMAIN


GWLB Hannover 35
036 828 076
I 688

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 6;Leibn. Marg. 72, [255] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 6;Leibn. Marg. 72, [256] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 6:Leibn. Marg. 72, [257] - -